

N. franchimont

IOH. LOSELI, PORUSSI,

Phil. & Med. D.

DE

PODAGRA TRACTATUS,

Morbi huius indolem & curam diligenter exponens.

R


Editio ſecunda correctior, & duplo auctior.

Acceſſit inſuper Hieronymi Cardani Mediolanenſis, Podagræ Encomium.

NF



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex officina IOANNIS MAIRE.
CIↃ IↃ C XXXIX.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Serenissimo & Potentissimo
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
GEORGIO RAKOCIO,
REGNI TRANSYLVANIÆ PRINCIPI, PARTIUM REGNI HUNGARIÆ DOMINO, ET SICULORUM COMITI, &c.

Principi ac Domino meo clementissimo.

Serenissime Princeps,

PRo clementiâ illâ Principali, quâ Vestra Serenitas me cum in Transylvaniâ præsentem, tum extra Transylvaniam gratiosè ac munificè excipere dignata est,

grates ago ſempiternas. Et ut animi quoquo modo grati, in tantâ corporum abſentiâ, ſaltem aliquod exſtaret argumentum, exiguum hunc de Podagrâ eiuſque curâ libellum Serenitati veſtræ inſcribere, Eidemque humilimè offerre debui. Non quod arbitrer, Tanto Principe (cuius Virtus in utroque orbis Imperio tam ad Tibiſcum, quàm Szaloncam ſatis ſuperque inclaruit) dignum eſſe munuſculum, ſed ut demonſtrem, turpe ingraditudinis vitium à quovis mortali pectore longè alienum eſſe debere. Accipe igitur Magne Princeps literarium hoc exercitium ſereno vultu,

vultu, idque luce hactenus destitutum Inclyti Nominis luce irradia. Quod superest, Serenitati Vestræ, ac vetustissimæ RAKOCIANAE prosapiæ, à vivo & vero DEO, sanitatem inculpatam, vitam longævam, Regimen æternaturum, ex animo devotè adprecor.

Serenitatis Vestræ

Subiectissimus & obstrictissimus servus.

IOH. LOSELIUS, D.

AD LECTORES.

PARTES *inter, vitæ mortalium grata servitia præstantes, etiamsi infimum, nobilem tamen occupant locum Pedes. His enim tota humani corporis fabrica ceu fundamento innititur, fulcitur, sustentatur, & erectos ad sidera tollere vultus iubetur homo. Pedibus stamus, pultamus, calcitramus, eorumque alterno explicatu ambulamus, oberramus, ac diversas regiones, hominumque gentes, accedimus & relinquimus. Pedum adminiculo gravissima sæpè discrimina avertuntur, auxilia implorantur, & vitæ periclitanti parta salus invenitur. Pedibus quæstum facimus, ac sustentationem honestam vario ac gentico more procuramus. Cerdones & alutarii boum tergora oviumque pelles lixivio prius elabora-*

labora-

laborata, versando calcant, exagitant, eademque variis usibus destinata præparant. Linteones ac textores, in conficiendis carbasis ac linteis, stamini tramam subtexentes, suppositos variato pedum impulsu moderantur asseres. Tornatores scyphos, girgillos, & quidquid rasile torno subiicitur, tremulo pede exasciant, fingunt & elaborant. Cæmentarii luta innocentia pedibus tractant, conculcant, & figuli impulsâ ac currente rotâ nunc urceos, nunc catinos exire patiuntur. Panificio operam dantes quid aliud agunt, quàm ut alibilem massam pedibus subigant, ac fermento exactiùs miscendam uniant? Quid Vindemiatores? Nonne decerptas, & vasi rotundo inclusas uvas, collutulatis pedibus (fortassean & hoc nomine partibus illis adeò infensus musteus ille Bacchi liquor) confringunt, ac torculari auxiliarem præstant operam. Sic organo canentes pedum moderamine & consonantias & dissonantias exhi-

bent: Hortulani areolas suas complanant: baiuli rotæ insistentes, eamque in gyrum ducentes, onustas naves exonerant, & magna pedibus extrahunt pondera. Nec tantum in his, aliisque partim ingenuis, partim sordidulis exercitiis, pedum ministerium laudabile & necessarium est, sed & Dædala opera, & quæ manuum coniugio aliàs exercentur, pedibus solerter peragi visa sunt. Etenim memoriæ proditum novimus, fæmellam brachiis destitutam, non tantum colum tractasse, stamina nevisse, pecuniam numerasse, sed & subtilissima quæque pedũ digitis artificiosè perfecisse. Similiter Hispanus quidã, homo mutilus & mancus, arma bellica pedibus expeditè tractavit, tympana pulsavit, & in arcu (quod mirandũ) intendendâ, atq; sagittis excutiendis, adeò fuit rectus, ut à scopo nunquã aberrasse dicatur. Quàm eleganter quoq; pedũ subsidio Thomas Schweickerus calamos parare, literas pingere, & cõsimilia agere

gere

gere potuerit, hi versiculi satis attestãtur:

Quod dextris alii tractant, peraguntque sinistris, (dũ:
Ille ministerio perficit omne pe-
Nam bibit, & scribit pedibus, comeditque, facitque
Singula. ----

Ipse quoque non ita pridem hîc Lugduni Batavorum homuncionem vidi, per exile acus foramen traiicientem filum, ligna secantem, clavum ferreum in asserem malleô adigentem, ac rursus conversi mallei auriculis extrahentem. Omnia hæc pedum digitis præstitit. Non dicam de morbidâ corporis constitutione, quæ pedum ope in integrum aliquandò revocatur. De Tarantalis, qui à Phalangio lentiginoso seu Appulo læduntur, omninò certum est, eos Choreas & tripudia ducere, usque dum omnis mali fomes exhaustus, & venenum saltando fuerit discussum. Febriles paroxysmos oberrando ac cursitando quomodo in primâ

herbâ suffocare conetur vulgus, lippis & tonsoribus notissimum esse reor. Taceo alias utilitates, quas mortale hominum genus fulcris corporeæ molis unicè debet. Quemadmodum autem variis servitiis distinguuntur pedes, & homini immane quantum commodant, ita diversis quoque calamitatibus iidem obnoxii sunt, quibus actiones superiùs allegatæ turbantur, sufflaminantur, vel etiam penitùs abolentur. Pedes sæpenumerò vulneribus, contusionibus, luxationibus, imò fracturis afficiuntur & oblæduntur: aliquando erysipelata, œdemata, perniones, ambustiones, varices, clavi, aliæque huius gentilitatis ægritudines exercent pedes, ac motui locali subitaneam adferunt remeliginem. Nec modò his infortuniis pedes subiacere & excruciari certum, sed & peculiare agnoscunt πάθημα, cui & nomen indulgent, & in proprio territorio habitaculum haut denegant. Affectus ille Podagra nuncupatur, con-

fertque inter initia laborantibus aliquid eximii. Iubet ægrum ſedere, cum alii ſtant, & equitare, cum alii pedibus ambulant. Vbi verò furere occipit, hominem non modò equitandi, vel ſedendi delicio arcet, ſed lecto affirmatum, dolore adeò funeſto excruciat ſæpè, ut æger etiam languenti corpori aliquando exiſtat iniurioſus. Præterea ſatis frequens malum eſt podagra, cum ob intemperantiam & ingluviem, tum alias in victu offenſiones, ac humano generi ſexcenta ferè parturit damna. Omnes enim quotquot cruciamentis ſuis onerat, ambulandi impotentiâ mulctat, cerdones, textores, cæmentatores, piſtores, & huius farinæ homines, in ſtatu ac conditione impedit, eoſque exercitiis ac operibus alimentariis eximens, prorſus ineptos reddit, tàm ad quærendum victum, quàm alendam familiam, & totam rem œconomicam adminiſtrandam. Quod ſi ampliſsimo loco conſtitutos, muneribus honoratis fun-

 gentes,

gentes, & ad clavum Regiminis sedentes, adoriatur podagra, quam multa (eheu!) ceu fœcundâ matre inde propullulant, & enascuntur incommoda. Negotia publicam salutem spectantia haut rarenter negliguntur, res civiles ac criminales differuntur, dilatæ oblivijs involvuntur, & si imperitis, vices illorum subeuntibus, fasces rerumque gubernacula tradantur, multa admittuntur, quæ in communem perniciem, & totius Reipublicæ labem tendere videntur. Et sanè viris genere, autoritate & dignitate eminentibus, nimioperè insidiatur podagra, eorumque familiaritatem plebeiorum consortio anteponendam frequenter iudicat. Podagra quippe lautitiis, aliisque delicatulis cibis, quibus magnatum mensæ onerantur, impensiùs delectatur. Vina Falerna, Cæcuba, & quicquid luxurianti arridet gulæ, studiosiùs commendat, & plenis crateris hauriri suadet. Labores & solicitudines spernere, conflictibus Vene-

reis intereſſe crebriùs hortatur eos, quorum converſationem avidiſsimè ambit. Cum itaque Podagra variæ ſortis hominibus, tam infimatibus, quàm Magnatibus inſidioſa ſit, & complures regiones ob gulæ blandimenta, & alios in victu errores ſæpiculè infeſtet, adlaboravi, biennio abhinc exacto, hiſtoriam dicti affectus exiguo comprendere ſcripto. Aſt quia eius exemplaria, Roſtochi excuſa, opinione citiùs diſtracta fuere, amici nonnulli publicationem de integro urſerunt, ac impetrarunt. Antequam verò prælo iterum ſubiiceretur, à mendis typographicis illud repurgatum, & in pluſculis locupletatum exhibere volui. Tota autem διάσκεψις hæc cauſarum explicatu, prænotione, præſervatione, & ſecundum indicationes inſtitutâ curatione abſolvitur, ac Dogmaticæ medicationi tandem ſubnectitur. Cura Podagræ Tranſplantatoria, quæ à quibuſdam tergeminis extollitur laudibus, eò quod compertum,

pertum, arthriticos artis istius interventu convaluisse, remediis relliquis frustra & sine profectu adhibitis. Ratio insuper istius Curæ qualis qualis allata est, non ut Doctioribus hîc quicquam obtruderetur, sed partim ut ansa daretur, ulterius inquirendi & investigandi, quod negligi hactenus cœpit, partim ut infirmiores abstraherentur à superstitione imaginariâ, ne protinam Diabolici quid prætendant, ubi effectuum causæ abstrusæ quodammodo, & huius vel istius menti impenetrabiles obveniunt. Sed plura præfari nolo, nisi ut candidos lectores valere, eosque benevolos exoptem. Dabam Lugduni Batavorum, III Eiduum Martii, CIϽIϽCXXXIX.

ΣΚΙΑ-

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ

TRACTATUS.


SECT. I. THEORICA.

MEMB. I. Podagræ naturam & descriptionem exhibens.
ART. I. Nomen & ipsa definitio.
ART. II. Generis evolutio.
ART. III. Subiecti determinatio.
ART. IV. Causarū enumeratio.
SUBSECT. I. Causam continentem eruens.
SUBSECT. II. Fontem defluxus proponens..
SUBSECT. IV. Causas procatarcticas explicans.
ART. V. Accidentium potiorum enarratio.
MEMB. II. Podagræ differentias & varietatem proponens.

بِعَوْنِ ٱللّٰه تَعَالَي ❧

IOH. LOSELI, PORUSSI
De
PODAGRA.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.



Ssa *duplici modo connectuntur secundum Anatomicos:* I. *per* διάρθρωσιν, *quæ teste Galeno* lib. XII. de usu part. *propter motum voluntarium instituta est.* II. *per* σύμφυσιν, *eamque vel sine medio, vel cum medio. Articulationi tres adscribuntur species,* ἐνάρθρωσις, ἀρθρωδία καὶ γίγγλυμος. *Symphysi verò cum mediatæ, tum immediatæ itidem tot assignantur species, & quidem illi* συγχόνδρωσις, συνεύρωσις καὶ συσσάρκωσις; *huic* ῥαφή, ἁρμονία καὶ γόμφωσις. *Prior ossium connexio, quæ fit* κατ' ἄρθρον, *arthritidi (quæ* τῶν ἄρθρων πόνος *est) sedem exhi-*

exhibet, quippe circa ἐναρθρώσιν imperitat ischias, omagra; circa ἀρθρωδίαν, siagonagra; circa γίγγλυμον, trachilagra, pechyagra, chiragra, gonagra & podagra dominantur. Posterior connexio, quæ fit ἀμέσως κατὰ ζύμφυσιν, arthritidis habitaculum esse nequit, cum ossa illa motui voluntario proximè non deserviãt. hoc nomine falli eos autumo, qui rhinagram & odontagram arthritidis esse species rigide contendunt. Quæ verò connexio fit ἐμμέσως κατὰ σύμφυσιν, arthritico malo hospitium indulgere potest, verum non per se, sed quatenus διαρθρώσει copulatur. Cum itaque circa dictam articulationem variæ arthritidis contingant species, constituimus impræsentiarum, reliquis dimissis speciebus, solam podagram sub incudem revocare; ac in eius indolem pensiculatius inquirere, potissimum cum hæc, inter contribules suas, gonagram, ischiadem, chiragram principatum tenens, frequentius homines invadat, &

gressus

gressus sufflaminando è numero viventium eos ferè eximat, iuxta illud Luciani in Tragopodagra:

περιπατεῖν μὲ ὃς ἂν θέλῃ
καὶ μὴ δύναται· τοῦτον ἐν νεκροῖς τίθει.

Dispescemus autem totam de podagra tractationem in duas Sectiones, quarum altera Theorica, θεωρίας *vocabulo* κοινῶς καὶ οὐκ ἰδίως *accepto, altera Practica nuncupabitur. Vtrique Membra & Articulos attribuemus, Articulis si res exegerit, Subsectiones quasdam subiunctum iri. Cæpta autem nostra ne, quod Pythagoras habet,* μωρὰ πέτηται, *cum Nazianzeno ita ingemisco:*

Χάριν παράσχου Χριστὲ τοῖς ἐμοῖς πόνοις.

DE

DE PODAGRA.

SECTIO I. THEORICA.

MEMBRUM Primum.

Podagræ naturam & deſcriptionem exhibens.

ARTICULUS Primus.

Nomen & ipſa Definitio.



ODAGRA, quaſi ποδῶν ἄγρα γινομένη, Arabibus نقرس appellatur, qui verò malo hoc diſcruciantur, podagrici & podagroſi Latinis, Græcis ποδαγροὶ nominantur, Iben-Sinæ متقرّعون à Rad. قرع *pulſare, pultare, verberare, percutere, confringere, conterere, conquaſſare*, eò quod dolor ſæpenumerò

rò adeò funeſtus ſit, ut æger exclamare habeat neceſſum,

Οἴμοι, παπαῖ γε· τείρομαι, ὄλλυμαι·
Ἅπαν πέπαρμαι γυῖον ἀσκόπῳ κακῷ.

Vocatur & podagra morbus podagricus, eſtque eius λέξις συνώνυμος, & nihil prorſus aliud ſignificat, quàm podagra. Diverſum hîc ſentit Hieronymus Sachetus, *qui in retractatione de podagricis & arthriticis morbis, Brixiæ* M. D. XXCVI. *editâ*, ſtatuit, podagricos morbos re & nomine eſſe diverſos ab arthriticis morbis, & quod podagra inter podagricos ſit morbos maximè nobilis & inſignis. Podagricos autem morbos non tantum eos appellitat, qui pedes invadunt, ſed etiam qui quarumcunque partium articulos occupant: idque fieri arbitratur ob analogiam, quam ad podagram habent; quod ſcilicet motum illius ſequantur, ſintque

ex iis, qui certis temporibus recurrunt. Præterea ſatis protervè Galenum & reliquos flagellat Medicos, eoſque valdè negligentes & oſcitantes fuiſſe ſcribit, quod diſcrimen podagricorum morborum ab aliis articularibus morbis non tradiderint, nec quod unum commune genus articularibus morbis aſſignarint, quod diſtributum in ſuas ſpecies ac differentias explicari potuerit. Hinc tam in rebus ipſis, quàm in docendi ratione Medicos multifariam peccaſſe, & genus curationis talium morborum ignoraſſe profitetur. Ipſe verò hoc diſcerniculi ponit inter podagricos & arthriticos morbos, quod podagrici ſtatis temporibus, ſenſimque fiant, arthritici verò & recurrant & non recurrant: ideoque arthritidem nec inflammationem nec luxationem eſſe ſtatuit,
ſed

ſed ſimpliciter morbū, articulorum voluntariū motum impedientem. Verū enimverò in pluſculis hîc errat Sachetus, & primò quidē fictitium illud diſcrimen inter podagricos & arthriticos morbos neceſſarium haut eſt, nam arthritici omnes illi morbi dicuntur, qui ab affluxu ſalini humoris, in viſceribus abdominis geniti, ac in venis & arteriis cumulati, originem ſumentes, circa articulamenta, in partibus nervoſis ac membranoſis, dolorem & tumuſculum pariunt, & poſtea vel ſtatis temporibus revertuntur, vel etiam emanent. Ita arthriticus acceptus morbus Podagricum reſpicit velut Genus ſuam ſpeciem, totaque eſſentia arthritici morbi continetur in eſſentia podagrici, quod de natura ipſius generis eſſe ſolet. Itaque fruſtraneum & ridiculum planè eſt, hîc duo

duo genera effingere, arthriticum ſcilicet & podagricum, cum uno genere poſſimus eſſe contenti, ad quas ſpecies omnes commodè reduci queunt. Nec Medici negligentiæ ac oſcitantiæ incuſandi ſunt, quod entia præter neceſſitatem multiplicare noluerint, cum arthritis & morbus podagricus non conſtituant diverſa genera, ſed potius alterum ſit alterius genus, nec aliter differant, quam includens & incluſum. Deinde quod podagricos morbos quarumcunque partium articulos, genu, coxendicem, cubitum ac manum infeſtare ſcribat, in eo quoque enormiter peccat Sachetus, cum impropria illa dictio, ac contradictionem involvens, nequaquam toleranda ſit, ubi convenientius occurrit vocabulum, quo generaliter hunc vel illum morbum inſignire poſſumus.

Et ſi ob analogiam Chiragricum morbum podagricum nominitare fas eſt, licitum quoque erit, hepatis inflammationem morbum dicere pleuriticum, & conſimiles ἀκυρολογίας invehere, à quibus tamen ſanior abhorret Medicina. Quod verò arthritidem ſimpliciter morbum, voluntarium articulorum motum impedientem, pronuntiet, in eo itidem à vero aberrat. Nam ſi arthritis ἁπλῶς morbus articulorum, motui προαιρετικῷ incommodans, dicendus ſit, ſequitur indubiè, omne vulnus circa partes articuloſas ſive cæſim ſive punctim factum, motumque auferens vel turbans, inducere arthritidem. Præterea nec luxatio arthritidi acцenſeri poteſt, niſi tartareus humor ſimul ad articulos deerret, gluten ipſorum collutulet, ac lancinando partes ſenſiles dolorem excitet.

tetur. Quippe luxatio quà luxatio arthritidem haud parit, ſed potius id, quod luxationem conſequitur, quemadmodum nec inflammatio abſolutè arthritidem gignere poteſt, ſed quatenus humiditatem ſalinam in conſortium trahitur.

Podagræ autem vocabulum etiam diverſimodè ſumitur ab illis, qui ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ ſuſque deque habent. I. γενικῶς, pro quavis arthritidis ſpecie, ſive nucham, ſive manum, ſive aliam corporis occupet partem, *Er hat den podagell im nacken*, &c. Paracelſus etiam in capite, ſuturis cranii, orbitis oculorum, aurium anfractibus, in naſo, mento, coſtis, ubi cum ſterni cartilaginibus connexionem habent, in renibus, veſicà & membro virili, podagram vitioſiſſimè locatur, *Tom.* I V. *lib.* 1. *de podagricis, p.* 140. 141. *& lib.* 1. *de morbis podagr. p.* 164.

B 2 eam-

eamque Epilepsiæ speciem, ψευδῶς & inepte statuit, *Tom.* III. *lib.* II. *de tartaro, tract.* II. *cap.* IV. *p.* 163. II. Ioculariter & abusivè (1) pro dentiũ dolore, ita Strobelbergerus tractatum suum de odontalgia inscripsit de podagra dentium. (2) Pro lateris dolore, ut factitatum à Capivaccio, qui dolorem podagricum in latere quendam cruciasse scribit, *Cons.* CCXXVI, *à Scholtz. coll.* Nos γνήσιον ipsius podagræ ἔτυμον retinentes, sequenti modo eam definimus: Podagra est dolor partium nervosarum ac sensu præditarum circa pedum articulos, ab humoris serosi & tartarei defluxu & congestione ortum ducens.

Artic.

ARTIC. II.

Generis evolutio.

DOlorem diximus esse podagram. Ubi sciendum podagram dupliciter considerari posse, vel ut νόσημα, vel ut σύμπτωμα. Ut νόσημα considerata podagra, rectiùs statuitur morborum congeries, quàm simplex aliquis morbus. Diverso quippe respectu podagra modò similaris morbus est, & quidem intemperiei, quatenus salsuginosum humorum lixivium partes pedum sensiles obsidet, ac temperiem illarum naturalem alterat, evertit, ac destruit: modò organicus, & quidem magnitudinis auctæ, ac figuræ depravatæ, quatenus tumor podagræ associatur, & tophi insuper succedentes figuram partium inæqualem reddunt ac vi-

esse appetitum, quem postea sensum communem vocat, causam verò immediatam doloris esse solam actionem obiectorum, ita ut solutio continui saltim sit causa sine qua non. Etenim si doloris subiectum proprium esset sensus communis, sequeretur omnium externorum sensuum eum esse subiectum, atque ita ratione subiecti, nulla daretur eorundem distinctio. Et licet centrum omnium sensuum externorum dicatur, adeoque illorum obiecta apprehendat, & à se invicem discriminet, attamen non existimandum, eundem propterea esse subiectum sensuum externorum. Nam si hoc, inferri quoque posset, & phantasiam & memoriam illorum esse subiectum, cum species ab externis sensibus ad sensum communem delatæ, ulterius phantasiæ & memoriæ offerantur,

rantur, partim ut exactiùs examinentur, partim ceu in promptuario studiosiùs asserventur. Quod vero Augenius imitatus Iben-Raschid, solutionem continui ideò causam immediatam doloris esse neget, quia non est obiectum sensile, neque inter propria, neque communia sensibilia referri potest, in eo itidem falsus est Augenius. Quippe largiamur, solutionem continui non esse obiectum sensile (etiamsi Mercatus expreßè eandem sensile commune esse dicat, *lib.* III. *de morb. p.* 174) sententiæ tamen nostræ id parum officiet, cum doloris essentia non consistat in perceptione obiecti, sed potius in molestia seu ἀνίᾳ quadam, quæ perceptionem obiecti comitatur, ut paulò ante fuit assertum. Commodè igitur Galenus *lib.* II. *de loc. affect. cap.* II. dolorem non sensum

sed sensum tristem nominat~. Et Campanell. *lib.* III. *Medicinal. c.* III. *articul.* II. *p.*83. definit dolorem, quod sit affectus sequens sensum præsentis mali.

Quercetanus *in Consil. de arithritide,* concedit quidem, solutionem continui esse doloris causam, & hanc induci à spiritibus salium resolutis, verùm quid illud sit, quod sentiat ac doleat in parte, id Dogmaticos non expressisse scribit~. Ipse verò arbitratur, spiritum scilicet astralem per totum corpus diffusum, seu balsami spiritum, qui omnes corporis functiones per sua instrumenta obit, esse id quod sentit & dolet: imò huic spiritui soli vim sentiendi attribuit, ubi vellicando & pungendo, vel etiam alio modo eius continuum solvitur ac dissecatur. Ast εὐθυῤῥημονέστερον hic esse censeo Quercetanum, dum balsa-

balſamo vitali δύναμιν αἰσθητικὴν adſcribit, quæ aliàs πρώτως & formaliter animæ ſentienti, δευτέρως ſeu inſtrumentaliter ſpiritui animali, quatenus in parte ſenſui dicatâ, ac benè diſpoſitâ, radicatur, refertur accepta. Imò quod balſamus vitæ in partibus membranoſis non ſit id, quod ſentit & dolet, inde etiam manifeſtum eſt, quod in paralyſi, ſalvo ſpiritu balſamico, interdum nulla fiat ſenſatio, etiamſi pars affecta immane quantum vellicetur, pungatur, vel aliâ ratione tractetur. Quapropter ſcitè ſcribit Campanella, ubi dolor non ſentitur in affecto membro, ſignum eſt, Spiritum inde abſceſſiſſe. Dolorem itaque quod ſentit, dicimus eſſe animam ſenſitivam, concurrente Spiritu animali, partes verò nervoſas unâ cum balſamo vitæ eſſe ſubiectum, in quod tin-

ctduræ ſalium actione ſuâ deſtructivâ ſolutionem continui inducunt.

Campanella *l. c.* inficiatur, ſolam continui ſolutionem gignere dolorem, cum non ſola ſit malum: nam (inquit) compreſſio Spiritus in membro incluſi malum eſt, & luxatio membri ordinem deturbans, & Spiritum afficiens compreſſione & torſione: Item intemperies frigoris nimii, nimiique caloris, & incraſſatio nimia, & attenuatio nimia. Verum ſciendum, reliquas à Campanella adductas ſaltem eſſe mediatas doloris cauſas, quæ neceſſariò reducendæ ſunt ad communẽ quandã efficiendi rationem, ad ſolutionẽ ſcilicet continui, utpote quæ proxima & immediata doloris cauſa ὁμοθυμαδὸν à plurimis cenſetur. Antequam autem reductio inſtituatur, allubeſcit prius determinare, quid ſit ſolutio continui,

tinui, cum quibusdam obscura hæc videatur locutio. Est itaque solutio continui partium nervosarum ac membranosarum tensio, divisio, vel ut Arist. VI. *Top. c.* III. loquitur, διάστασις τῶν συμφύτων μερῶν, quæ à variis causis, tum violenter & confertim, tum paulatim agentibus inducitur. Deinde solutio hæc continui modò ἔνδηλος est & manifesta, modò ἄδηλος seu obscura, pro diversitate rei dividentis, à qua dependet. His suppositis, levi brachio causæ, à Campanella in medium allatæ, ad solutionem continui reducuntur, nam & compressio Spiritus in membro inclusi, & luxatio (sive sit ὀλίσθημα seu perfecta, sive διακίνημα seu imperfecta) partes sentientes tendere, & ita dolorem, inferre potest. Similiter frigus intensum, & calor insignis continuum dividunt, si non mani-

manifestè, obscurè tamen, & quidem frigus partes membranosas (quibus oppidò inimicum, ex v. *aph.* xviii) constringendo tendit, & calidum depauperando, vel alio modo efficit, ut partes extimæ ὀγκοῦσθαι ἢ ὀγκύλλεσθαι in tumorem efferri manifestè conspiciantur. Calor nimius destruit continuum, comburendo, ebullitionem humorum, & affluxum excitando, partium humidum absumendo, & siccando, &c. Incrassantia verò & attenuantia quomodo continuum solvant, facilè animadvertet is, cui παχυντικῶν καὶ λεπτυντικῶν natura perspecta est. Attenuantia enim non modò calore valentiore, quo ut plurimum pollent, sed & beneficio suæ salinæ substantiæ, & quidem volatilis, partes tendere, & ita continuum dividere apta nata sunt. Incrassantia verò infrigidante qualitate

litate partes acutiſſimi ſenſus conſtringendo, terrenâ ac craſsâ ſubſtantiâ partium meatus offarciendo, atque ita tendendo ſolutionem continui pariunt.

ARTICULUS III.

Subiecti determinatio.

Subiectum podagræ ſtatuimus eſſe partes membranoſas & nervoſas circa pedum articulos: Explicatius determinando, membranas, tendines, ac vincula externa, à perioſteo ortum ducentia, & extremitates oſſium ac muſculorum tendines nectentia, ſubiectum verum eſſe confitemur. Ubi ligamenta non excludimus, etiamſi Galenus *lib.* I. *de uſu part. & lib.* VI. *M.M. & lib.* XIV. *M.M. ut & lib.* III. *de compoſit. medicament. ſ. gener.* eadem ἀναίσθητα pronunciet. Diſtinguimus namque inter ligamenta, & alia car-

cartilaginosa esse profitemur, quæ cum ossis cartilagine nascuntur, & quasi ab eadem oriuntur, uti sunt ea, quæ femur cum coxendice, tibiam cum coxâ connectunt, & χονδροσυνδέσμοι appellantur: alia membranosa statuimus, quæ validissimis nervorum filamentis intertexta, à periosteo διοικήσεως ἀρχὴν mutuantur. Illa sensu prorsus destitui, ἑκόντι θυμῷ Galeno & aliis concedimus, hæc verò sensu gaudere, constanter cum Mercato *tom.* III. *lib.* IV. *cap.* XVIII. *p.* 432. asseveramus. Nec obstat illud, quod dicunt, hominem hac ratione in ἀειπαθείᾳ fore constitutum, si ligamenta sensu essent prædita. Regero, idem fieri debere à periosteo, quo immediatè articuli incinguntur, utpote quæ membrana acutissimi sensus est, & sæpè ὀστοκόπον patitur dolorem. Reliquæ

rationes, ſcilicet quod nullibi ad ligamenta feratur Spiritus animalis, qui omninò requiritur ad ſenſationem; Item quod ligamenta ſint oſſium & cartilaginum productiones, accipiendæ ſunt ſaltim de cartilaginoſis ligamentis, non membranoſis, quæ ſenſu penitus carere, haut ſunt dicenda.

Mercatus *l. c. p.* 439. largitur quidem tunicas ligamentorum & tendinum eſſe ſubiectum podagræ, non tamen vere. Nam podagram aliam facit legitimam, aliam ſpuriam. Legitimam oriri ait ab humore in articuli cavitatem prolapſo. Spuriam verò duplicem eſſe opinatur, quarum alteram ab humoribus, in tunicis ligamentorum & tendinum, in nervis, aut in eorum venis turgentibus & diſtendentibus, nullâ eorum portione in articulos prolapsâ, ortum trahere

here exiſtimat : alteram verò fieri cenſet ob abſumptionem τοῦ γλισχρά-σματος, ſeu ut ipſe habet, per ſiccitatem humiditatis, intra cavitatem articuli ad faciliorem motum præſtitæ. Verum hæc Mercati ſententia veritati haut litat. Etenim conceſſerim, ſpuriam illam eſſe podagram, quæ fit ob penuriam glutinoſi humoris, quo naturaliter articuli inunguntur, altera tamen, quam ab humoribus, in tunicis ligamentorum & tendinum hærentibus, fieri dicit, illegitima non eſt pronuntianda, cum hæc immediato gaudeat ſubiecto, partibus ſcilicet nervoſis. Contra, quam legitimam eſſe ſtatuit, legitima non eſt, cum cavitas articulorum non ſit verum podagræ ſubiectum, ut iam demonſtrabitur. Suppono autem tria ad ſubiectum podagræ eſſe neceſſaria: I. Ut ſubiectum

non destituatur sensu. II. ut humorem serosum admittat. III, ut via adsit, per quam humor tranare, & se in articulorum cavitatem insinuare possit. His positis, statim elucescit, articulorum sedem interiorem non esse verum & immediatum podagræ subiectum, quippe cum pedum articuli firmissimo nexu colligentur, & nullibi extrema eorum intrinsecus periosteo obducantur, sed potius cartilagine incrustentur, fieri non potest, ut sedes hæc interior aliquo sensu polleat. Deinde nec humorem serosum admittunt articuli, cum adeò exactè iungantur, ut nullum spatium se offerat, quod humoris δοχεῖον esse possit. Tandem via hîc nulla visitur, per quam humor in intimam articulorum cameram didi possit: & quanquam Mercatus autumet, per ligamento-
rum

rum substantiam fieri influxum, tamen via hæc satis commoda non est, cum crassiora sint ligamenta, & articulos tam accuratè sepiant, ut difficulter quid influere possit. Præterea licet aliquando per διαπήδησιν nonnihil instillet, illud tamen tanti non est, ut huius occasione partes discedant, & ossa ab invicem separentur, quod vult Mercatus. His accedit, quod φαῦλος ἰχώρ, dolorem excitans, adhibitis quandoque apocrusticis, ex parte affectâ in vasa, & consequenter in corpus, suum legat iter, quod neutiquam fieret, si causa συνεκτικὴ intra cancellos articulorum esset conclusa. Insuper ubi ἀκονδυλοπωροφίλα podagra tophos parturit, eos non in cavitate articulorum, producit, sed potiùs in partibus articulos ambientibus. Imo μακρόπνους fieret æger, si materia sedem interio-

teriorem occuparet, & ossa ab invicem distenderentur. Verùm, cum nec id fiat, & pes naturalem suam διάπλασιν ratione longitudinis servet, vero consonum est, non in dictâ sede, sed in partibus extimis stabulari humorem.

ARTICT. IV.

Causarum enumeratio.

SUBSEC. I.

Causam continentem eruens.

VIso subiecto, ad causas Podagræ progredimur statuentes, causam συνεκτικὴν huius mali esse salsuginosum humorum lixivium, seu humorem serosum ac tartareum, partes sentientes circa pedum articulos distendentem, pungentem ac lancinantem. Vel potius τὰς ἀκρότητας καὶ ἰχῦς humoris serosi

ſeroſi (quas δυνάμιων appellitat nomine Hipp. *lib. de priſc. Med.*) dicimus eſſe cauſam, quippe ὅσα κακοπαθέει ἄνθρωπος, πάντα ἀπὸ δυνάμιων γίνεσθαι, ut idem habet *l. c.* Paracelſus ſalem hunc podagram inducentem, diverſi inſuper ingenii eſſe ſtatuit, ſecundùm variantes ſalium ſpecies, ita ut modò aluminis, modò ſalis nitri, modò vitrioli, modò alterius ſalis referat naturam. Vid. *tom.* IV. *lib.* II. *de podagricis, p.* 155. 156. 158.

Alii alias podagræ adferunt cauſas. Hip. *lib. de affect. p.* 301. à ſanguine in venulis à bile & pituitâ corrupto podagram oriri exiſtimat. Galenus *de compoſi. Medic. ſ. loca. c.* 11. ſcribit, quod humor irruens aliquando ſit ſanguineus, utplurimum verò pituitoſus, aut ex pituitoſo & bilioſo miſtus, quibus etiam interdum ſanguis miſcetur.

tur. Pituitoſum autem humorem rectiùs crudum appellandum eſſe cenſet, qui tractu temporis craſſeſcit, & τὸ γλιχρὸν acquirit, unde poſtmodum tophi generentur. Iben-Sina *lib.* III. *Fen.* XII. *tract.* II. *cap.* V. *p.* 401. ut plurimum à phlegmate cum cholerâ; deinde à crudo; poſt à ſanguine, tandem à cholerâ, & raro à melancholiâ malum hoc generari tradit; Trallianus quoque *lib.* XI. *p.* 179. à ſanguine, bile pituitâ & Melancholia podagricum deducit morbum, & aſſeverat, ſi & differentiæ & ſpecies ipſius, quot & quales exiſtant, probè internoſcantur, facilem curatu Medicis futurum. Hos Medicorum ἀςτὺς plurimi ſecuti ſunt Medici, qui diſcerniculum facturi, podagram aliam à ſanguine, aliam à bile, à pituitâ aliam, & aliam à Melancholia induci,

duci,

duci, & pro diversitate humoris, podagram gignentis, τέκμαρσιν θεραπευτικὴν institui dixerunt. Spigelius *de arthritide p. 75.* rarò à simplici humore, plerumque à mixto malum oriri asserit, & præcipuè à bile & pituita. Verùm etsi concedamus, assеclas hos esse humores, & cum seroso ac tartareo excremento interdum coniungi, non tamen arbitrandum, vel sanguinem, vel pituitam, vel bilem, vel etiam horum miscellam, proximam & genuinam podagræ esse causam. Et quidem sanguis συνέχον αἴτιον haud est, quia podagri inflammationem, & quæ eam insequitur ἐκπύησιν seu suppurationem vix incurrunt, quod sæpius fieri deberet, si malum hoc à sanguine propullularet. Nec valet hic quidquam κρησφύγετον, seu potius exceptio Iacobi Seidelii, *qui in methodica arthritidis curatione,*

Bardi

Bardi Pomeraniæ MDXC. *editâ*, *th.* XLII. *p.* 12. arbitratur, ſanguinis affluxum phlegmonem, ſuppurationem parientem, haut excitare, niſi in muſculum aut carnem fiat. Cum autem articulorum partes nervoſæ ſint, & carne nudatæ, hinc colligit, eas haut commodam inflammationibus ſedem præbere poſſe. Aſt fallitur Seidelius, nam etiamſi ſanguis, partes nervoſas perpluens, non ita facilè phlegmonem inducat, non tamen ſequitur, inflammationem inde nunquam generari poſſe. Articuli enim non tantum partibus conſtant nervoſis, ſed inſuper muſculis, & carne ſuâ inveſtiuntur, in quam ſanguis procumbens tum ad inflammationem, tum ad ſuppurationem invehendam, ſatis aptus eſt. Deinde nec partes nervoſæ, aut membranoſæ, penitùs

inflammationis expertes proclamandæ ſunt, cum & nervorum principium, cerebrum ſcilicet, eiuſque involucra, craſſa ac tenuis meninx, pleura quoque, & conſimiles membranoſæ partes, graviſſimis ſæpè inflammationibus corripiantur. Pus verò in partibus nervoſis haut rarenter generari, ipſa αὐτοψία luculenter demonſtrat. Et nuper etiam in Noſocomio Leidenſi XIII. Decembr. Anno M.DC XXXVIII. in iuvene quodam Holſato Iohan Hacks, macritudine confecto & aperto, inſignis conſpiciebatur vomica, in ipsâ intercapedine mediaſtini enata, ac craſſo pure repleta: ſimilis etiam ſterno ſub pleurâ inſidebat eo loco, ubi mediaſtinum vomicâ affectum connexum erat, habebantque inter ſeſe duæ hæ vomicæ communem quen-

quendam aditum. Bilis flava, cui Galenus *lib. v. de usu part. c. iv. p.* 143, facultatē ad modum acrem, mordacem, & omnia abradentem tribuit, ad dolores excitandos quidem aptissima est, attamen cum in podagra pars affecta nunquam ferè erodatur, vel flavedine tingatur, à bile vix prodire hunc affectum verisimile est. Arbitratur quidem Æmilius Campalongus *lib. de arthritid. cap.* VIII. *p.* 7. contra Trincavellium disputans, exulcerationem hic loci nullam fieri posse, cum ad ulceris generationem non tantùm requiratur humor valdè acris, sed etiam qui agat in partem ulceri generando idoneam, cuiusmodi nulla esse possit partium articulis proximarum, utpote quas duræ atque terrestris substantiæ esse, & ægrè admodum ab humore acri exulcerari statuit. Sed sciat Cam-

palongus, adesse etiam hîc circa articulamenta partes molliores, quæ ab affluxu acris istius materiæ obsessæ facilè exulcerari possunt, uti sunt musculi, periosteo incumbentes. Deinde etiam partibus illis, quas duræ atque terrestris substantiæ esse ait, non repugnat, ut aliquandò exulcerationem incurrant, si ab humore acri infestentur. Nam etsi partes spermaticæ (os & cartilaginem excipio) sanguineis partibus ægriùs exulcerentur, non tamen simpliciter asserendum est, eas exulcerari non posse. Sic stomachum, vel orificium ventriculi sinistrum, & quidem in parte anteriori, ubi ramus sextæ coniugationis nervorum inseritur, ulcus magnum & fœtidum occupasse, ægrumque iugulasse, narrat Guilhelm. Fabricius *observat. Chirurg. Centur.* III. *Observat.* XX. *p.* 91.

Ab humore pituiteo, vel melancholico, ut causa continente, itidem haud generari podagram certum est, cum dolor, χνυπτούμενος, quodam velut unco lancinans, longè aliud persuadeat. Deinde cum invasio podagræ sit subitanea, & sæpè humor, vel sponte suâ, vel adhibitis repellentibus, per vasorum tubulos εἰς τὰ ἄνω affectet viam, colligere est, affectum non à frigidâ materiâ oriri, utpote quæ ad motum ineptior, sed potius à tenui, quæ derepentè & influere & refluere apta nata est. Ardor etiam, qui podagræ sæpiculè iungitur, indicio est, eam non à frigido, sed calido humore proficisci. Falsus itaque est Fernelius, qui *lib.* VI. *de part. morb. & sympt. c.* XVII, *p.* 635. reliquis reiectis humoribus, solum pituitosum humorem arthritidis facit autorem,

& omnem arthritidem frigidam, ex frigido humore genitam eſſe, ſtatuit. Nec humores μεμιγμένοι, bilioſi & pituitoſi, ex Spigelii & aliorum arbitratu, cauſæ continentis vicem commodè ſubire poſſunt, cum algidus humor, bili aſſociatus, huius acrimoniam attemperet, & ita præcaveat, ne miſcella tam inſignem cruciatum inferre ſit potens, qualem experiuntur podagri. Multò minus toleranda hic eſt ſententia Iacob. Seidelii, qui *l. c. th.* XXXVIII, & XLIII. cauſam proximam ſeu continentem duplicem facit, humores & flatus. Inter humores non tantum ſanguinem, ſed & pituitam, bilem, melancholiam, eorumque variam miſcellam numerat. Verùm enimverò humores iſtos cauſę continentis nomine venire haut poſſe, iam ſatis demonſtratum eſſe autu-

mo.

mo. Flatus autem proximè podagram, aliaſque arthritidis ſpecies, excitare non poſſe, inde fit manifeſtum, quia morbi à flatibus oriundi citiùs remittunt, ſecus ac noſter affectus, qui ſpatio demum quadraginta dierum exacto, plenariè ægrum abſolvit, docente Hipp. vi, *aph.* xlix. Interim haut diffiteor, flatuum aſſultu aliquandò ſpurios & tenſivos circa articulorũ connexiones & muſculorũ interſtitia, ſuboriri dolores, illi tamẽ nequaquam veræ arthritidis nomine digni ſunt habiti. Nam & ſanguis interdum ad articulos deerrans, dolores gravativos concitat, hos tamen non podagram, ſed φλεμέλια ſeu flemina (Hippocrates κέδματα appellitat) conſtituere arbitramur. Similiter nec intemperies ſine materia (quam Guilhelm. Budæus *in Commentar. de curandis articulor. morb. Pariſiis*

anno M. DXXXIX. *edito, p.* 29. Gerhardus Borgensis *de præs. & curat. morbor. articular. Antv.* M.DLXIV. *excusâ, p.* 13. & Michaël Maierus *in Civitate corpor. human. cap.* XII. *p.* 204. causis arthritidis annumerant) podagrã, vel aliã arthritidis veræ speciẽ, inducere potest, quicquid istius sententię asseverant autores. Paræus *lib.* XVII. *Chir. cap.* 11. *p.* 511. humorem arthriticũ vult esse ἄῤῥητον nec notioris naturæ, quam qui pestem, luem venereã, aut epilepsiã gignit: & paulò post eundem tenuem & virulentum esse scribit, non tamen contagiosum, qualitate potius, quàm copiâ peccantem. Platerus etiam arthritidis malignæ facit mentionem, ortæ ab humore seroso, qui pravam vim, seu aliquid maligni seu incogniti sit adeptus, *tom.* II. *prax. lib.* III. *c.* XVI. *col.* 589. Hoc μέγα λίαν αἴτημα adstruere

ſtruere conatur Paræus aliquot ratiunculis, & primò quidem malignum eſſe probat humorem, quia nunquam ad ſuppurationem pervenit. (2) quia intenſiorem parit dolorem, ac reliqui humores, ubi in pus vertuntur. (3) quia in nodoſum & gypſeum quid induratur. (4) quia partibus, per quas decurrit, nullam moleſtiam infert, exceptis articulis. (5) quia humor articulos hodiè calidâ, cras figidâ intemperie afficit, ſeu partem affectam modò urit, modò quavis glacie frigidiorem reddit. (6) quia malum ab adhibitis remediis potiùs exaſperatur. (7) quia Galenus *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* XV.*p.96.* theriacam pedum & aliorum articulorum doloribus, ab influxione excitatis, maximè ex uſu eſſe dicit. Verum enimverò has Paræi rationes elumbes eſſe ſtatuo. Nam ut à

posteriori exordiar, tenendum, etiamsi Galenus podagris theriacæ usum suadeat, non tamen id facit ob humoris aliquam malignitatem infringendam, quæ hic nulla est, sed saltem ad cohibendum materiæ influxum, & ad absumendum id, quod in parte affecta stabulatur. Ita Galenus *l. c.* vires theriacæ enarrans, eandem in plurimis celebrat morbis, qui nullam malignitatem coniunctam habent, v. g. in δυσηκοΐᾳ & ἀμβλυωπίᾳ, in deperditâ genitalis membri ἀτονίᾳ, in asthmate, calculo, hydrope, febri quartana, & id genus affectibus. Quod verò aliquando malum, efferatum quasi, augeatur ab admotis remediis, id non malignitati humoris, sed sinistræ topicorum applicationi refertur acceptum, quippe pinguia & unctuosa, quæ sæpenumero in principio adhibentur, partem

affectam ad influxus continuationem invitant, prætereà poros occludunt, & ne quid exspiret, prohibent. Insuper & paregorica illa, quæ ex mica panis, cum lacte & croco, addito pulvere rosarum & chamæmeli, conficiuntur, vanè & sine profectu applicantur, non ob humoris virulentiam, sed quod spiritibus salium, à quibus continuum dividitur, non sint contraria. Sal itaque sali opponatur, ac dolor ex salium vel coagulatione, vel resolutione aut effervescentiâ subortus, cum sale tanquam specifico oppugnetur. Deinde quod ægri modò urantur, modò frigeant, id vel accidere autumo, ob indolem diversam humoris influentis, qui hodiè calidus, cras frigidus esse potest: vel ob salsuginosum lixivium, quod & frigoris & caloris sensum gignere quitum

est, non secus ac in febribus humores biliosi tum horroris, tum æstus subsequentis sunt architecti. Quod verò partibus, per quas tranat humor, nullam molestiam inferat, id inde est, quia per venas & arterias deorsum labitur, in quibus ductibus dolorem excitare haud potest, cum natura ἀπαίδευτος οὖσα καὶ οὐ μαθοῦσα sapientissimo consilio hisce partibus sensum tactus prorsus denegavit. Hinc Galenus *lib.* XVI. *de usu part. cap.* XII. *p.* 220. verè dixit: *arteriæ & venæ cuiusque partis, sensus omninò sunt expertes, sive illas frangere velis, sive urere, sive incidere, sive laqueis excipere.* Insuper nec id arguit malignitatem, quod humor nodos parti ingeneret, uti nec illud, quod dolores sint acutiores, siquidem omnia illa ab humore seroso, in quo τὸ πυροποιητικὸν, & variæ salium tincturæ delitescunt,

tescunt, proficisci queunt. Tandem nec ἐκπυήσεως ἀπεσία hic quicquam persuadet, nam etsi sanguis facilè in pus mutetur, bilis tamen & melancholia difficulter in id convertuntur, & compertum est, tumores ex bile & melancholiâ natos, adhibitis suppurantibus, non in pus abiisse, sed ita degenerasse, ut cancrum & maligna ulcera, θηριώματα ἢ νομὰς, Cheironeia & Telepheia aliàs dicta, excitarint: imò in totum repugnat sero suppurari, unde liquet, non statim illum humorem malignum & virulentum esse pronunciandum, qui nunquam ad suspurationem devenit. Ex his iam constat, podagræ autorem non esse virus quoddam, sed potiùs serum seu tartarum, partes nervosas circa pedum articulos vellicans ac pungens.

Sache-

Sachetus *in retractatione de podagr. & arthrit. morb. cap.* XII.*p.*95. podagrici morbi cauſam principalem credit eſſe ſanguinem, cui impura atque extranea materia miſcetur. Illam autem neque bilem, neque pituitam, aut melancholiam profitetur eſſe, ſed quiddam potiùs impurum, indigeſtum, crudumque, quod vel nimietate copiæ, vel imbecillitate caloris, concoqui, ſecerni, excludique haut potuit. Porrò crudum illud ac indigeſtum explicatiùs determinat, dum podagricum dolorem non eſſe ſcribit, qualem naturales humores gignere conſueverunt, ſed potiùs inſolentem & extraneum, qualis ferè ex tormentario pulvere, vel ſulphure, vel alumine, nitrove, vel aliâ huiuſmodi re excitatur. Hæc ſententia toleranda eſt, ſi per impuritatem

illam crudam & extraneam exaudiatur materia quædam ſalina. Quod vero ſanguinem præcipuam opinetur eſſe cauſam, & *cap.* IV. *p.* 50. podagram à cauſis malignis oriri fingat, in eo haut facimus cum Sacheto.

Paracelſus *tom.* III. *lib.* I. *de tartaro, tract.* IV. *cap.* II. *p.* 130. & *ſeqq.* podagram & omnes arthriticos dolores ex glutine albo infecto, ſeu vitiato deducit. Gluten ſtatuit eſſe humorem naturalem, ſeu ſalem dulcem, à natura ordinatum, ut eſcam ligamentis & iuncturis adminiſtret. Huic glutini ſeu ſali dulci, ubi ſeſe aſſociat ſal mineralis (alibi ſcilicet *tom.* IV. *de podagra, p.* 104. ex ſulphure accenſo, in glutine furiente, podagram oriundam ſtatuit) ſive acetoſus, ſive aliâ donatus indole, eumque collutulat, ita ut gluten

gluten à sale minerali resoluto vel coaguletur vel dilatetur, fit, ut membrum, rigidum quasi factum, motu voluntario privetur, & insimul vehementi afficiatur dolore. Ipsa Paracelsi verba adscribam. *Gluten est sal dulce, sal aliud est sal salsum & minerale: quare ubi invicem congrediuntur, dolores fiunt, triduum sæpè, sæpè octiduum, quatuordecim dies, quandoque tres septimanas, ægrum cruciantes, donec uniantur, & amicè conspirent, post dolor cessat aliquandiu, interim si materia iterum congeratur, & ad locum priorem veniat, rursus redeunt dolores, & patiens conqueritur. Est nobilissimum membrum gluten album, Synovia subtilis ac pura, nec sensibilius membrum in toto corpore, quàm gluten, quippe ab aëre frigido tactum confestim dolet. Inde, quod genu inflatur, aliundè non est, quàm quod ad gluten fluxus alius venit, & invicem præliantur, ita*

genu

genu vel iunctura brachii inflatur: Vbi una cura est, ut liquor salsus, qui descendit, resolvatur & expellatur, & humori naturali, id est, glutini auxilium feratur. Podagra non dolet, sed quando fluxus incidit in gluten, iam dolet. Errant, qui putant podagram esse fluxum à capite descendentem phlegmaticum: Nihil tale est, quasi podagra ex superfluo humore veniret. Gluten non est in ventre, non in membris interioribus, sed solùm in exterioribus, in iuncturis, ubi sunt ligamenta, sed quando gluten venit ex suo loco, ut sese dilatet, ibi rursum contrarium est, & continuus dolor: Nam omnes dolores, qui in iuncturis sunt, & membris exterioribus, sunt ex glutine. Ita ergò, ubi sic gluten est infectum, ibi tartarus fit vel podagra. Hactenus ille. Hæc Paracelsi sententia utut nostræ quasi manum dare videtur, in quibusdam tamen falsa est. Nam quod sta-

ſtatuat, gluten eſſe ſubiectum podagræ, item quod membrum ſit maximè ſenſile, & quod nullibi niſi in partibus exterioribus inveniatur, in eo hallucinari arbitor Paracelſum. Etenim ſubiectum eſſe non poteſt, cum gluten ex ſententia Paracelſi ſit pabulum ſeu eſca iuncturarum & ligamentorum, ex quo ſequitur, membris etiam accenſeri haut poſſe, cum principium, nutrimentum, & excrementum è partium numero excludantur. Pars namque corporis ſit ſolida, circumſcriptionem habeat propriam, vivat, nutriatur, & ad certam functionem, vel uſum ſit ordinata. Quæ requiſita neutiquam glutini competere poſſunt, cum ſit res liquida, humor naturalis, nutriat (quod ipſe fatetur *l. c.*) propriam habeat circumſcriptionem. Præterea & ſenſus

pror-

prorsus expers est gluten: nam quod pars corporis haut dicitur, illud nec pars sentiens dici potest. Res enim quæ non est, ut nec intenditur & remittitur, ita nec modificatur. Tandem quod dicit, nullibi gluten, nisi in partibus exterioribus reperiri, illud itidem à vero δὶς διὰ πασῶν, velut Codrus ab Inacho, distat. Gluten namque humor secundarius est, ex sanguine toties alterato ortus, lentorem & crassitiem obtinens, ac tandem προστίθεται, προσφύεται καὶ ὁμοιοῦται in partium nutriendarum substantiam abiens. Humore illo omnes in universum aluntur partes, sive spermaticæ fuerint, sive sanguineæ, qui pro diversitate ipsius partis, cui agglutinandus est, modò viscosior & crassior est, modò minus viscidus & crassus. Nec tantùm salem quendam dulcem in se ha-

bet gluten, ut vult Paracelsus, sed præterea sulphuream & mercurialem obtinet substantiam, quâ quilibet humor nutriens instructus esse debet, sive exta, sive ossa, aut eius gentilitatis partes, pabulatione roboranda sint. Cæterùm quod Paracelsus *l. c.* doceat, salem mineralem, naturæ sali adversum, podagram aliosque dolores arthriticos parturire, & quod podagra haud oriatur à pituiteo humore, ex capite destillante, in eo rectissimè sentit, & nostræ sententiæ quàm proximè accedit. Quod verò *tom.* VII. *in Scholiis de gradib. & compositione. p.* 212. Παλινῳδίαν ᾄδειν, & contrarium adserere haut erubescat, dum podagram fluxum phlegmaticum, ex humoribus generatum, pronuntiat, ex eo Vertumnum esse, ac parum sibi constare Paracelsum, cui-

cuivis liquet. Colligitur autem ſerum circa iuncturas exiſtens, ac continuum dividens, vel per ῥευματισμὸν, vel per συναθροισμόν· Collectio humoris tartarei per defluxum frequentiſſima eſt, & fit, dum expultrix partium infimi ventris, hepatis præſertim, lienis, ac uteri aliquando, inſurgit ad expellendum id, quod naturæ oneri & moleſtum eſt. Et quia materia peculiarem ῥοπὴν ad pedum articulos habet, commota primitùs & ſponte ſuâ, & motu partium periſtaltico comitata eò proficiſcitur, & quidem venarum & arteriarum vehiculo. Ab hac colluvie humoris circa iuncturas, podagra ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ſua nanciſcitur natalitia. Altera collectio per συναθροισμὸν rarior eſt, & fit, ubi articuli vel partes membranoſæ affluens alimentum, ob inquilinam

nam ἀδύναμιν, & deperditum robur, non ritè coquunt, nec excrementa debito modo sequestrant. Alimentum autem dictarum partium ita naturâ suâ comparatum est, ut facilè tartarum suppeditet, non dextrè coctum: quippe cum partes articulorum glutinosæ sint & mucilaginosæ, etiam glutinosum, & per consequens salsuginosum & tartareum exposcunt alimentum, quod nisi optimè digeratur, præsentis mali causa est. Ab hoc tartaro, coacervato rariùs quidem oritur podagra, attamen ubi inde generatur, ferè eodem modo circa pedum articulos fit ebullitio, qualis accidere solet, ubi simplex aqua ad extrahendum salem calci vivæ affunditur. Hæc tartari calx diu aliquandò circa pedum iuncturas otiosa hospitatur, ubi verò levis con-

concurrit humoris defluxio, ſtatim perfusâ & accensâ calce, fit effervefcentia & ὄγκωσις quaſi quædam, quæ dolorem vehementiſſimum parit. Hinc cauſam reddere haud difficile eſt, quî fiat, quod quidam doloribus corripiantur, etiamſi nulla defluxionis adſint indicia, quod inde eſſe cenſeo, quia tartarea illa materia, circa iuncturas hærens, ſtato quodam tempore, partitudine quaſi quadam, ſe multiplicat, ac ſpiritus quoſdam ſalinos exhalat, acrimoniâ ſuâ partes ſenſiles impetentes & lancinantes.

SUBSECT. II.

Fontem defluxus proponens.

FOntem & originem huius mali, ratione defluxus, & vias, per quas humor delabitur, quod attinet, notum eſt, autores hîc in di-

diversas abire sententias. Fernenelius *lib.* v. *de morbis & sympt. cap.* VI. *p.* 529. & *lib.* VI. *cap.* XVIII. *p.* 636. caput, quod ῥίζαν ἀνθρωπίνων κακῶν *in epist. ad Demetrium Regem* Hippocrates nominat, omnis defluxionis, sive internæ, sive externæ, fontem esse statuit, & quidem scaturiginem cuiusvis arthritidis vult esse partes capitis externas, & extra calvariam positas, in quibus humor pituitosus & serosus colligitur, maximè sub cute verticis, quò venarum, per faciem & tempora in caput irrepentium, extrema desinunt. Humorem autem hîc loci cumulatum, cum præ cutis crassitie atque densitate foras vaporare haud queat, in cervicem, in scapulas, in brachia, in dorsum & lumbos, in coxendicem, in crura, in omnes denique articulos

ten-

tendere, ibique acutissimos dolores gignere ait. Eos autem errare profitetur, qui ex intimis partibus humorem in articulos irrumpere credunt. Platerus *l. c. colum.* 578. & *seqq.* aliam fovet sententiam, statuens humorem, arthritidis caussam, vel intra venas, & extra venas congeri. Extra venas qui congeruntur humores, eos coacervari dicit, vel intra calvariam, qui postmodum nervorum ductum secuti ad articulos labuntur; vel extra calvariam, qui sub cute deorsum vergentes articulorum sedibus sese insinuant. Intra venas verò, qui congeritur humor, sanguinem esse putat, sive copiâ peccantem, sive excrementitio humorum ichore perfusum, qui ubi articulos petit, gignit arthritidem, febri synochâ aliquandiu ceu comite stipatam. Mercatus *tom.* III. *lib.* IV. *c.* XVIII.
 p. 434.

p. 434. alii ad huc addictus est sententiæ, docetque humores originem fluxionis aliquando sumere à ventriculo, aliquandò ab intestinis. Item succrescere dolores ait, semine, menstruo, aut puerperio deficientibus, item hæmorrhoidibus suppressis, vel alia consuetâ evacuatione. Specialiùs autem non solùm à capite, sed & frequentiùs à toto corpore, frequentissimè autem ex iecore fluxionis prodire materiam, adstruit. Vias autem, per quas humor defluit, quod concernit, censet Mercatus *p.* 435, rariùs fieri destillationem per partes & meatus exteriores, qui proximi sunt cuti, frequentiùs per venas & membranas tendinum, ac sæpè nervorum, & conspicuos atque occultos carnis, & reliquarum partium corporis meatus, frequentissimè per venas & com-

communia vaſa, quibus alimentum partes ſuſcipiunt. Spigelius quoque *de arthrit. p.* 70. 71. duplicem fluxionis conſtituens fontem, caput & hepar, arbitratur à capite, rarò per locum ſub cute, crebriùs per venas & arterias iugulares, non ſolùm externas, ſed etiam internas, remeare humorem in venam cavam, & arteriam magnam, vel eius magnos ramos, ſub iugulo conſtitutos, & ita ad articulos devolvi. Verum enimverò neutra harum opinionum nobis arridet, cum primis Fernelii, qui ſaltim à capite, & quidem per ſumma corporis ſub cute, humorem ad pedum articulos deferri credit. Primò namque fons remotior eſt, nec vero conſonum videtur, humorem à cerebro delabi, cum ſæpè in momento hominem dolor corripiat. Et quamvis aliquandò ma-

teria quædam ex crure rectà ascendat per femur, lumbos & dorsum, & in basi cerebri subsistens derepente epilepsiam gignat, ut videre est in puero epileptico, cuius à Galeno *lib.* III. *de loco affect. c.* V. fit mentio, tamen illa nihil aliud est, quam οὐσία πνευματικὴ, ὥσπερ αὖρα, quæ facilè viam invenire potest sursum abeundi. (2). Si cerebrum esset fons istius mali, æger antequam podagrâ corriperetur, semper καρηβαρείᾳ laboraret, correptus verò ab eadem liberaretur. Quod verò nonnulli dicant, instante paroxysmo, caput quandoque gravitate, somnolentiâ & dolore affici, illud non confestim arguit, cerebrum esse fontem podagrici mali, cum ἐπιγεννήματα ista, à materia in venis agitatâ, & sursum iter insistente, caputque gravante oriantur. Quemadmodum

& in febribus paroxyſmum febrilem ſæpenumerò antecedunt talia ſymptomata, vel ob conſenſum partium inferiorum, vel ob plethoram, & humorum agitationem, quę tamen nemini perſuadent, cerebrum febris, paulo poſt ſubſequentis, eſſe ſcaturiginem. (3) alia ſymptomata graviora incurreret, ſi materia in cerebro vel generaretur, vel cumularetur. (4) in deſcenſu vel paralyſin, vel convulſionem, vel etiam dolorem gigneret, antequam extremos pedum articulos adiret. (5). Cum podagri ut plurimum ſint εὐφυεῖς τὴν διάνοιαν, & expedito ingenio, veriſimile eſt, à capite haud ſcaturire humorem. Nam plurima eruditorum ſcripta podagræ debemus, quæ ſi ſani fuiſſent, vix edidiſſent. Et Cardanus *in encomio podagræ* ſcribit, magnum Eraſmum è cubili

podagræ, quicquid legi meretur, exprompſiſſe. Hinc prudentiores etiam omnibus aliis podagroſi cenſentur, quo nomine Reipublicæ habenæ iis quandoque committi ſolent, habenturque illorum conſilia matura, prudentia atque tuta. Animus namque podagrâ laborantium nullis fluctibus agitatur, corpus à motibus quieſcit, & anima ſuperfluis cibis aut potibus minimè impeditur, teſte Cardano *l. c. p. 685.* (6). Si humor ſeroſus in capite, vel potiùs in verticis parte exteriori, cumulatur, cur non inſtituimus hic loci curationem, & fonticulo excitato humorem evacuamus & itineri eius ad inferiora ſufflamen ponimus. (7). Cur non tumor ille in vertice inſtar ceræ mollis, cuius Fernelius meminit, cutem condenſans, eamque à calvâ plurimum
diſiun-

disiungens, semper animadvertitur, ubi podagra vel alia arthritidis species hominem est correptura. His rationibus evictum esse arbitror, caput non esse partem mittentem, ut cum Fernelio plurimi hactenus statuerunt. Interim non penitùs inficior, aliquandò κέδματα spuria, vel dolores vagos in partibus externis excitari posse, humore à capite sub cute destillante, hos tamen arthritici doloris nomine, & quidem veri, indignos iudico, cum & citò remittant, & ab humore frigido, non circa articulos, sed musculorum membranas consistente, & sæpè in flatus verso, oriantur. Quod verò Platerus humorem, à capite defluentem, ductum nervorum sequi, Mercatus per membranas tendinum & nervorum eundem deferri putent, in eo uterque fallitur. Etenim si

nervorum ductum sequeretur humor, vel per membranas tendinum & nervorum deflueret, fieri non posset, quin, rigatâ aut compressâ nervorum substantiâ, paralysis confestim induceretur, vel convulsio, nervis ab humore acri vellicatis. Excipit hîc Campalongus, *lib. de arthrit. cap.* XVIII, *p.* 19. Ideo paralysin haut excitari, quia in paralysi humor non fluit per spinalem medullam & nervos, sed inibi detinetur, eaque replet; in arthritide autem fluit duntaxat humor, & quidem non secundùm omnes nervorum partes, sed solùm secundùm exteriores. Verum illa exceptio Campalongi nullius pretii est, nam quod opinetur paralysin tum demum excitari, ubi materia deerrans nervos replet, id nihil est. Quippe nervi illi cum sint imperforati, & destituantur cavitate, quo-

quomodo ſecundùm cavam partem repleri ac obſtrui poterunt? Rectiùs itaque cauſa paralyſis ſtatuitur eſſe, ubi nervi ab humorum affluxu irrigantur, comprimuntur, vel quoquo modo ſpiritibus animalibus aditus ad partes, ſenſui & motui dicatas, præcluditur. Hinc in arthritide facilè paralyſis præſtò eſſet, ſi humores ſecundùm partes nervorum exteriores deorſum ruerent: quippe humectatâ nervorum ſubſtantiâ, ac temperie illorum naturali eversâ, haut difficulter paralyſis ſequeretur, præſertim craſſo humore viam ad illas partes inſiſtente, quemadmodum nonnulli autumant. Rectiùs itaque, dimiſsâ Palladis arce, fontem defluxus podagrici ſtatuimus hepar, lienem, & reliqua in abdomine viſcera, in quibus ſalſuginoſum iſtud lixivium coacervatur, uſque

dum à facultate partium expultrice ad pedum infirmos articulos ablegatur. Ita ab inteſtino colo aliquandò humor in articulorum regionem excidit, Hippocrate & Galeno VI. *Epid. comm.* IV. *text.* III. docentibus: quod commode per arterias meſaraicas fieri poteſt, quæ humorem in arteriæ magnæ truncum ingerunt, & ita ad articulos amandant. Ab utero etiam quandoque humor deerrat, ut factum in Phaëtuſa, quæ ex menſium ſuppreſſione, non modò arthritidem incurrit, ſed & penitus hirſuta facta eſt, & barbam alere cœpit. Idem Namyſiæ contigiſſe ſcribit Hipp. *lib.* VI. *epidemior. ſect.* VII. *p.* 547. Vias autem per quas humor ad pedum iuncturas proficiſcitur, dicimus eſſe tantùm venas & arterias, & quidem venæ cavæ, & arteriæ magnæ truncum

deſcen-

descendentem. Idipsum varia confirmant. Nam (1) ubi humor in procinctu est, & καταστaγμὸν minatur pedibus, in excreto lotio commotæ materiæ aliquando adsunt indicia. (2) adhibitis repellentibus, haud rarò pedes iam affligens humor παλινδρομὴν instituit, & eò quandoque assurgit, ut cordis compressionem, syncopen, aut simile quid, cum internecino sæpè damno ipsius ægri, pariat, nisi rursum ad articulos relabatur, vel etiam cathartico adhibito egeratur. (3) In crisi aliquando per ἀπόσκημμα seu μετάστασιν humor ad pedes à natura propellitur, qui certè non à capite, & quidem per summa corporis sub cute, sed potiùs, ex venoso genere eò se exonerat. Ita VII. *collig. c.* III. testatur Iben-Raschid, ex acuto morbo arthriticum se factum, cum natura

per crisin humores ad articulos & præsertim ad pedes depulisset. (4) Venæ circa pedum articulos intumescunt, ac turgidæ conspiciuntur in principio paroxysmi, quæ ἐπισημασία reverà indicat, humorem, arthritidis causam, à venis exspui in partes sensiles, articulum ambientes, & non sub cute à capite eò transmitti. Quod verò Fernelius miratur, quomodo à visceribus intimisque sedibus possit humor sincerus aliquispiam per venas ferri; item quomodo per ora venarum in articulos purus excidere queat; id mirari desiisset, si naturæ motus in variolis, scabie, & cognatis morbis, recordari voluisset, ubi humores cacochymi, sæpè puri, in extima corporis, universitatisque superficiem, quam χροίαν veteres Pythagoræi appellarunt, evomuntur, & varia ἐκβράσματα,

τα, σπίλοι, & id genus maculæ efflorescunt. Imò exactiùs ἐκ τῆς κοιλίης ταραχῶν, καὶ τῶν ἐμέτων, αὐτομάτως γινομένων, videre est, quomodo natura humorum saburram expellat, utili alimento sibi in venis asservato. Similiter & cathartica, & vomitoria exhibita, idem persuadent, quorum beneficio humores, cis hepar stabulantes, ex ipso venoso genere eliciuntur, & sinceri vel puri, nullo sanguine permisti (nisi ὑπερκαθάρσις subsequatur) per inferiorem gutturem, ut Plautus ait, vel etiam per os ipsum foras extruduntur. Deinde Fernelins colligit, necessariò cum anasarcâ dolores coniungi arthriticos, si per venas fieret fluxio; quandoquidem in anasarcâ per venas confluunt humores ad articulos, & omnes partes corporis. Huic respondet Campalongus *lib. de arthrit. cap.* XIV. *p.* 14.

p. 14. in anaſarcâ haut excitari arthritidem, cum in illa humor ſenſim ad articulos delabatur, nō verò confertim, quod in arthritide fieri aſſolet. Aſt ſive paulatim, ſive ἀθρόως defluat humor, parum refert, quippe utroque modo podagram inducere valet, ſi ſit tartareus, ac ſenſiles pedum partes occupet. Reſponſo itaque Campalongi repudiato, dicimus Fernelio, ideò podagram cum anaſarcâ vix complicari, quia humores ſeroſi & tartarei in abdomine generati, rectâ per venas deorſum tendunt ad pedes, nec exonerantur, antequam ad infirmos pedum articulos fuerit ventum. Deinde Anaſarca, quæ & ὑποσαρκίδιον nominatur, non oritur ab humore ſeroſo & tenui, ſed potiùs à pituitoſo & crudo ſanguine, frigidâ hepatis temperie plerumque interveniente.

niente. Inverto itaque Fernelii argumentũ dicendò, ſi humor pituitoſus à capite per defluxum externum ſub cute ad articulos deerrat, cur non anaſarcam ſimul producit, præſertim cum pituita ſit mali iſtius δημιουργὸς, non verò tartarum.

SUBSEC. III.

Cauſas antecedentes evolvens.

VIdimus hactenus cauſam podagræ continentem, defluxus ἰκμαλέον ſeu fontem, & vias per quas humor decurrit, iam ad reſtantia cauſarum genera nos conferemus. Cauſa itaque προηγουμένη, quæ Galeno *cap.* XXCIIX. *artis medicinal. p.* 69. διάθεσις, ἐφ᾽ ᾗ γίνεσθαι πέφυκεν ἡ νόσος, definitur, à nobis triplex conſtituetur. Prima eſt humoris ſeroſi παρασκευή. II. partium

tium mittentium διάθεσις παρὰ φύσιν. III. Iuncturarum seu partium circa pedum articulos ἀσθένεια.

Humoris serosi παρασκευὴν quod attinet, cumulatur illa circa hepar & lienem, ubi viscera, χυλώσει καὶ αἱματώσει inservientia, à naturæ catorthomate declinant. Quippe cum in cibis sit ἀνεπιτήδειον καὶ ἄκριτον quid, in quo δυνάμεις Hippocraticæ latitant, archæo autem ipsius ventriculi incumbat, ut utile ab inutili segreget, si iam in hâc suâ functione actio archæi frigeat, chylus impurus, ac variis salium tincturis contaminatus, offertur hepati, qui hospes etiamsi admittatur ab eodem, non tamen eo modo tractatur, quo quidem tractari meretur.

Nam exuendus esset illo ἀνεπιτηδείῳ καὶ ἀκρίτῳ, & postmodum denudatus ad reliquas partes ablegandus,

gandus, verum cum id ſecus fiat, non poteſt non ingens damnum inferri corpori, ſero vel tartaro in venis coacervato. Hoc autem ſerum non frigidæ naturæ æſtimandum eſt, ut Fernelius ſibi imaginatur, ſed calidæ, ſpiritus mordaces & acres obtinens, quibus partes ſenſiles infeſtare novit. Partium autem mittentium conſtitutio ſæpiculè calida eſt, potiſſimum hepatis, & rectè ſcribit Quercetanus *in conſ. de arthrit. p.*221. *Illi, qui doloribus hiſce conflictantur, utplurimum ſunt hepate calidiore, & frigidiore ventriculo.* Hepar namque calidius chylum, à ventriculo minùs dextrè elaboratum, opinione celeriùs ad ſe rapit, & ex eodem ſanguinem crudiorem, & tartaro fæcundum generat, qui reliquis partibus oblatus, eas quidem ratione utilis portionis inſtaurat, verùm

verùm istud ἀνεπιτήδειον seu tartareum, à facultate expultrice haud sequestratum, regurgitat, & si à renibus adscitum, dispositionem λιθοποιητικὴν in iis invenerit, ibidem subsistit, & in calculos concrescit, ubi verò in venis aliquandiu asservatur, tandem ad pedum iuncturas propellitur, & dolorem, sæpè etiam tophos producit. In corpore autem ubi detinetur, nec cum urinâ excernitur, lotium tenuius & limpidius existit, quod indicium & turbatæ coctionis, & tartarei intus subsistentis certissimum, in corpore præsertim hepar calidius obtinente. Nec tantum hepatis calidior constitutio tartari in corpore cumulati causa est, sed & frigidior. Hepar enim πλαδαρώτερον, & calore suo depauperatum, actiones suas segniùs exerit, nec separat separandum, unde & cru-

crudior ſanguis, & huberior tartari proventus. Eiuſmodi διάθεσις tartarifica hepati ac lieni aliquando ingeneratur, ubi quis arthriticis naſcitur parentibus, à quibus vitioſa diſpoſitio, impuritates ſalſuginoſas gignens, ſeminis interventu in prolem derivatur. Semen namque cum ſit ἀπόσπασμα, non quidem τοῦ σώματος, ſeu corporeæ molis, ut contra Epicurum & alios demonſtrat Ariſtoteles *lib.* I. *de generat. animal. cap.* XIIX. ſed potiùs τοῦ πνεύματος, ſeu ſpirituoſæ ſubſtantiæ, facilè ſpirituum vehiculo tartaroſa viſcerum diſpoſitio in ſobolem, iure quodam hæreditario, tranſvehi poteſt. Hanc diſpoſitionem ingenitam Campalongus *lib. de arthritid. cap.* XII. *p.* 14. ſtatim ab ortu noſtro ſeſe prodere negat, cum pueri abundent calido innato, à quo ſuperfluus humor

humor consumatur. Verùm exemplo nobis esse potest quinquennis ille puer, arthritico parente natus, cuius mentionem facit Guilhelm. Fabricius *Observ. Chirurg. Cent.* IV. *Observat.* XXCII, *p.* 188. qui in tenellâ ætate, ob ingenitam dispositionem, arthritide laborare cœpit. Huic dolore afflicto, tubercula etiam ad carpos, pedumque articulos generabantur, lentam ac viscidam materiam, factâ suppuratione, evomentia. Cui historiæ aphorismus ille Hippocraticus VI. *aph.* XXX. *παῖς οὐ ποδαγρᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ*, contrarius esse videtur, sed existimo, aphorismum citatum de podagra non hæreditariâ tantùm esse exaudiendum, ita ut pueri sanis parentibus nati, tum demum podagrâ corripiantur, ubi hirquitallire, & veneri indulgere incipiunt, eâque insatiabiliter fruuntur.

tur. In fæmellis ubi uterus pars mittens est, plerumque ἔμφραξις ipsius incusatur, ob quam γυναίκεια vel καταμήνια, seroso humore, commaculata seu inquinata, subsistunt, & postea iter suum ad infirmas pedum partes ingrediuntur. Hinc verè Hipp. (non moramur Senecam, qui mulieres propter luxum Hippocratem mendacem fecisse arbitratur) VI. *aphor.* XXIX. γυνὴ οὐ ποδαγρεῖ, ἢ μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλίπῃ Addiderim ego in puerperis uteri κατάψυξιν, ab ambiente aëre factam, quâ λόχια seu purgamenta post partum repelluntur, & ad articulos delegantur. Sed hæc rectiùs ad causam procatarcticam referri possunt.

Infirmitas partium circa pedum articulos causis antecedentibus annumeratur, cum & hæc suum ἐπιβάλλον μέρος προηγουμένως con-

conferat ad podagrã inducendam. Nam tono suo exuti, seu imbelles articuli facilè allabentem materiam suscipiunt, nec refractariè partibus robustioribus sese opponunt, sed lixivio salsuginoso patienter hospitium indulgent, idem ferè perferendo, quod in ὀλιγαρχίᾳ Republicâ, quæ ab Arist. *lib.* IV. *politicor. c.* II. πολιτείας παρέκβασις nominatur, minùs potentes perferunt, qui sæpè ab iis, qui plus pollent, opprimuntur, & multifariam onerantur. Imbecillitas autem harum partium, vel nativa est, vel adscititia. Nativa iterum duplex, alia hæreditaria, alia non hæreditaria, & oritur hæc ex vitiosâ διαπλάσει, quâ partes in utero laxiores, molliores, & insuper balsamo naturæ haud satis inunctæ producuntur, unde postea ob raritatem, ac viarum amplitudinem, & destillan-

tes

tes humores facilè recipiuntur, & ob defectum caloris excrementa congeruntur, alimento non ritè concocto. Ad hanc nativam pedum imbecillitatem ingenerandam plurimum facit Mars & Saturnus. Horum namque maleficorum alteruter ſi in Piſcibus exiſtat, hominem podagrum, vel alio pedum morbo detentum facit, cum piſces pedibus præficiantur, & imprimis ſi in ſextâ vel octavâ extiterint domo. Ita Romanorum Imperator Rudolphus II. pedis morbo tentatus fuit, quo etiam mortuus, cum haberet in geneſi ſuâ Piſces octavam domum tenentes, & Saturnum in illis verſantem retrogradum. Similiter virum quendam magnum novi, qui in octavâ domo genethliaci thematis Piſces, & in iis Saturnum inerrantem obtinet, magno pedum periculo.

culo. In hæreditaria verò partium ἀσθενείᾳ, præter illam laxitatem, & caloris defectum, characterem peculiarem agnoſco, quem hiſce partibus impreſſum eſſe ſtatuo, à parentum ſemine prodeuntem. Quippe in ſemine cùm deliteſcat ſpiritus, omnium partium ideam exprimens, fit, ut in morbis ſalinis, ac fixam habentibus radicem, unâ cum partis idea, character quidam vitioſæ διαθέσεως, partem occupantis, mediante ſpiritu & ſpumoſo ſeminis corpore, in prolem tranſplantetur & ita propagetur.

Quod verò in ſulphureis & mercurialibus affectibus id haud eveniat, inde eſt, quod hi morbi fixam radicem non obtineant, cui ſpiritus aſſueſcat, ideoque parentes, eiuſmodi morbis conflictati, rarò vel nunquam liberos ſibi planè ſimiles gènerant. Adſcititia pe-

dum imbecillitas à variis dependet causis, ut postea dicetur.

SUBSECT. IV.

Causas procatarcticas explicans.

SEquuntur causæ procatarcticæ, Hipp. III. *aph.* XII. προφάσεις dictæ, utpote quæ occasionem saltim præbent, & παρασκευὴν in corpore morbosam præsupponunt, ideoque à Galeno *lib. de caus. puls. cap.* 1. dicuntur προκατάρχεσθαι τῶν ἐν τῷ σώματι διαθέσεων. Et sunt in se insufficientes ad inducendum morbum, quo respectu ab externis causis discriminantur, quæ aliquando sibi relictæ omninò satis fortes sunt, ad morbificum effectum in corpore producendũ. Distinguimus autem αἴτια προκατάρχοντα in tres classes, quarum prima eorum est, quæ serum in corpore accumulant, & ad

eius proventum faciunt. II. quæ accumulatum commovent, & ad influxum invitant. III. quæ pedum articulos debilitant, iisque ad suscipiendam humorum saburram calcar addunt.

Serum ac tartaream materiam ex eduliorum genere suppeditant, sale maceratæ, ac fumo duratæ carnes, imò omnes cibi δύσπεπτοι καὶ κακόχυμοι, præsertim ubi viscerum δυνάμις ἀλλοιωτικὴ καὶ ἐκκριτικὴ (secreticem intelligo, cui inter ministras meritò quintus assignatur locus) ad incitas redacta est. Ingluvies quoque & crapula in tartaro congerendo maximum adferunt σύμβολον, soletque Podagra μισόπτωχος apud Sybaritas plerumque divertere, ut ex fabula illâ, quam ab aviâ Leonardâ recitatam allegat Iovianus Pontanus *lib.* V. *de serm. cap.* III. clariùs patescit. Idem etiam ex

peregrinatione colligere est, quam Podagra cum Aranea quondam instituerat. Apologum lepidum ex Thoma Mouseto hûc obiter adscribere licebit, qui *lib.* 11. *theatr. insector. cap.* XIII. *p.* 228. eum ita proponit: Aranea cum olim proficisceretur, fortè se illi Podagra comitem adiunxit, tametsi passibus ambiguis admodum ægrè illam sequeretur. Iam unius diei itinere confecto, appetente vespere, consilium fuit, diversum hospitem experiri. Ac Aranea oppidum ingressa, opulenti cuiusdam civis domum nacta est, apud quem dum telas cæperat tapætáque præpandere, pessimis modis habitam pellunt, & illâ nocte errantem pluviis exponunt. Podagra verò pedibus capta, cum nequiret ultra progredi, in primas se eius oppidi casas dedit, ubi vix tandem pauperis cu-

iuſpiam tuguriolum impetravit, quùm ibi decubuiſſet, nihil non miſeriarum experiebatur; Apponi cænaturienti, vel ſtomachanti potiùs, ater panis, cum oluſculo vix ſale condito, & è proximo ſtagno, aquula Samiolo poterio peti, unde ſitim extingueret. Sic igitur excepta, ſibi poſcit lectum inſterni; Torus illi palearis vel fortè roboreus datur, in quo ſuſpirans & gemens membra componit. Sed ô quàm malè membris mollibus & ἀθίκτοις, cum tam duris culcitris, pulvinaribuſque convenit? Primo igitur Sole, convenere iterum Aranea pariter & Podagra. Et prior illa, magnoperè de divitis civis incivilitate conqueſta eſt. Podagra contra, de hoſpitis ſui tenuitate, aſperoque victu: Commonſtrans lividas vibices, quas lignea, ſcuticoſáque fulcra tenellæ cuti-

culæ

culæ impreſſerant. Quâ de re poſteaquam aliquandiu deliberatum inter eas fuit, in hanc pedibus ſententiam venerunt, ut ſequenti ſubinde nocte hoſpitem mutarent, videlicet, ut Aranea deinceps pauperum tabernas & tuguria; Podagra verò divitum aulas, Regumque turres incolerent. Itaque Podagra promiſſi nequaquam immemor pedetentim, tacitiſque veſtigiis, pecunioſi cuiuſdam domum ingreſſa, ad obeſuli heri pedes procubuit. Quam ubi conſpexit hoſpes humaniſſimus quâ lenitate, quibus nominibus, quantis prothymiis, viſcerationibuſque excepit? Subſternuntur olorinæ culcitræ, pulvinis, toralibuſque Mileſiis, cubilium fulcra replentur; fervet culina, omnia ſunt in parato officia. Iam dapibus menſas onerant, & pocula ponunt.

Huc capi præpingues atque altiles, phaſiani, perdices, pavones, coturnices, turtures, ficedulæ, atque aves illæ, binis cordibus ſuperbientes, convolant. Rhombos, ſcaros, ſiluroſque prætereo. Lucrina item conchylia, Abydena oſtrea, & quicquid mare ſuperum inferumque lauti emittit. Hic vinum candidum, nigrum, rubellum, purpureum, dulce, tenerum, auſterum, Cæcubum, Falernum, Chium, plenis crateris infunditur. Taceo menſas ſecundas, à Tacentinis allatas, & exquiſitiſſimis bellariis in roſâ violiſque & hyacintho inſtructas. Denique nihil deliciarum, cupediarum, lenocinii, ac voluptatum non exhauritur, ut diva Podagra, cum ſororibus ſuis Chiragrâ atque Gonagrâ, ſuavibus modis & molliter acquieſcat. At Aranea, fato item benigno ducta,

pau-

pauperis ædiculas ſubit,

---- atque ibi miro
Dogmate, quidve marem deceat, deceátque maritam
Addocet, átque ſuo ſeſe ſudore ſaginat.

Vina ſerum accumulant, cumprimis in locis argilloſis, limoſis, lapidoſis, margâ aut alio minerali inſtructis, creſcentia. Terræ enim huiuſmodi ſuccum, ſale aut tartaro luxuriantem, ad vitium radices ablegant, qui attractus, ac in ſubſtantiam earum converſus, lapſu temporis uvas producit, conſimili tartaro gravidas. Et licet expreſſus liquor fermentando poſtea pluſculum deponat fæcum, ſpondyliis quoque vaſis aliquota earum pars adhæreſcat, attamen haud exigua portio intimè admixta manet vino, quæ poſtmodum in corpore humano vel calculum (ovo anſerino

maiorem è Pictore se exemisse testatur Gesselius, *in epist. ad Beverovic. p. 225.* & Zacutus Lusitanus Calculum XXXII unciarum, è dissecto corpore extractum, se vidisse refert, *lib. 1. prax. Med. admirand. p. 183.*) vel arthritidem generat, pro diversitate subiecti. Idem vino ἀπὸ κριθῆς, seu cerevisiæ, accidere potest, si scilicet conficiatur ex hordeo, in solo noxio proveniente. Perperam itaque agunt coloni (ut factitatum vidi in Galliâ) qui agros margâ stercorant, nã etiamsi lætiùs & uberiùs adolescere cernant segetem, & lautiorem quoque exspectent messem, propriæ tamen haud consulunt sanitati, ob ἀνεπιτήδειον illud, quod frumenta è terrâ matre adsumunt. Insuper cerevisia plurimum tartareæ suppeditat materiæ, ubi ex aquâ impurâ, limosâ, aut minerali qua-

quâdam qualitate infectâ paratur. Hinc videmus quibusdam locis podagram esse ἔνδημον, natalitiam, & quasi perpetuatam, modò ob frumentum, modò ob aquam. Cum esculentis & potulentis amicè conspirant, & ad seri collectionem faciunt τὰ ἐπιτηδεύματα, sive vitæ sors atque institutum, iners nempe & deses vita, otium supinum, excubiæ immodicæ, solennium evacuationum interceptiones, uteri ac hæmorrhoidum, cumprimis sudoris impedita excretio, ob πύκνωσιν seu pororum cutis constipationem, qua præsente vix ἀπόῤῥοια naturalis, nedum humoris serosi evacuatio, à naturâ peragi potest. Oliguria, vel etiam omnimoda urinæ suppressio idem efficit. Ita Iuris ille Licentiatus, cuius Doringius *lib. 1. de Medicinâ & Medic. p.* 109. meminit, qui lotium

adeò acre reddebat, ut ſpiritus vitrioli inſtar linteamina corroderet, facilè doloribus arthriticis corripi potuiſſet, ſi materia διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων non fuiſſet excreta.

Commovet ſerum aër calidior & humidior, tum inſpiratione attractus, tum per occultos corporis meatus admiſſus, ac commoto iter ad inferiora perſuadet. Hanc aëris ambientis vim, & reliquas inſtantes τῶν ὡρέων μεταλλαγὰς extemplo ſentiunt podagri, quo nomine dicuntur *almanac* habere in pedibus, quippe Lunæ motus Aſtrologis norunt meliùs, temporumque mutationes certius Nautis. Imprimis vere & autumno dolores arthritici evigilant, eò quod tum aër humores maximè exagitet, ſecundum iſtud: τὰ ποδαγρικὰ τοῦ ἦρος καὶ τοῦ φθινοπώρου κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. VI. *aphor.* LV. Nec tantum aëri

id adſcribo, ſed inſuper addo vim quandam inſitam, deliteſcentem in humore tartareo, quæ ab aëre, leniter excitata, ulterioris conturbationis cauſa eſt, morbos ſui generis, tanquam fructus quoſdam, ſuis temporibus renaſcentes, procreat. Natura autem illa humoris tartarei vere & autumno maximè gliſcit, & cietur, ob ſympathiam, quam habet cum cauſis, quæ eo tempore dominantur. Excrementa enim naturalia eodem ſpiritu interdum reguntur, ac gubernantur, quo res iſtæ, ex quibus ortum ſuum habent excrementa. Hinc tartarei humores, qui magnâ ex parte è potu vini meracioris in corpore cumulantur, proportione reſpondent illi materiæ, quæ cruda & feculenta in vinis nondum depuratis continetur, quâ commotâ & agitatâ, ob conſenſum

& illi commoventur. Terra quoque, vivifico solis calore verno tempore excitata, fœcundum suum aperit sinum, ac spiritus balsamicos per naturalem sublimationem plantis distribuit, easque brumali frigore demortuas quasi resuscitat. Tum quoque omnes res, quæ in eâ degunt, commoveri, & vina defecata aliàs, & limpida turbari videmus. Ita & sanguis & spiritus & reliqui humores vitiosi in corpore humano agitantur, & pro diversitate subiectorum, diversi generantur morbi. Motus corporis vehementior idem quoque præstat. Hinc Scythis frequens hoc malum est, non solùm hâc de causâ, quod stapedibus careant, verùm etiam quod frequentiùs equitent. Neapolitanos quoque ob equitationes sæpiùs podagrâ corripi scribit Campanella

lib.

lib. VI. *medicinal. c.* V. *articul.* V. *p.* 381. Venus itidem, pervigilium, balnea, ira & excandeſcentia humores concitare, & ad partes extimas præcipitare poſſunt.

Pedum articuli debilitantur, ubi quis γυμνόπους incedit, & quidem cœlo frigidiuſculo, & pluvioſo, quo tempore Iovem per cribrum mingere nugatur Ariſtophanes. Crebrius quoque ποδόνιπτρον, ſive calidum, ſive frigidum, adhibere noxium, cum pedes humectet ac infirmet. Nec in aquâ frigidâ inſtitutus natatus adeò commodus eſt, nam etiamſi Rondeletius articularios quoſdam frequentes in aquâ frigidâ nataſſe, & ſic evaſiſſe ſcribat, roboratis pedibus, & vaſis conſtrictis, & repulſis humoribus: tamen illa cura admittenda haut eſt, cum nervoſas pedum partes (quibus omne frigidum inimicum

V.

v. *aphor.* xiix) debilitet, & effluvio naturali remetiginem addat. Calcei non satis habiles & apti premendo infirmare pedes, & affluxui humorum quandam ἀφορμὴν dare possunt, uti & allisiones fortes ad lapidem vel terram. Non tamen cum veteribus superstitiosè hîc credendum, si quis inter eundum pedem in terrâ offendat, omen hoc esse instantis mortis, & quasi vocantis, ut ex Diogene Laërtio refert Meursius *in Mantisâ de luxu Romanor. cap.* ix. *p.* 105. Nativa pedum imbecillitas in utero materno contrahitur, facultatis formatricis, vel etiam seminis vitio, ut ante ostensum. Et tantum de causis.

ARTICT. V.

Accidentium potiorum enarratio.

POtiora affectionis consectaria, sive accidentia, sunt febris, tumor, rubedo partis, περὶ τὸ περιπατεῖν ἀθυμία, seu impotentia motus, & tophi seu nodi. Febris Podagræ iuncta, secundum Platerum πυρετὸς σύνοχος est, horrore primum, mox superveniente calore, siti, corporis inquietudine, ægrum molestans. Hæc ob recursum sanguinis ad interiora plerumque vesperi augetur, imò pro naturâ humoris, qui unà cum salsuginoso lixivio concitatur, hoc vel illo die intendi solet. Tumor & rubedo partis influxum sequuntur humorum, soletque dolor remittere, ubi pedium intumescit, seroso excremento à partibus membranosis & ner-

nervosis ad exteriora protruso. Deambulandi impotentia ἀλγήματος ποδαγρικοῦ ferè individua comes est, & oritur non ob paralysin partis, ut quidam autumant, sed quod Spiritus animales negotiis distringantur, tum in percipiendo obiecto ingrato, tum in deferendâ specie ad primum sensorium, quò diiudicetur. Tophi à Sale & tartaro coagulato oriundi sunt, in auras abeunte per διαφόρησιν aqueâ substantiâ. Materia autem, ex quibus nodi generantur, albicat aliquandò instar cretæ, refertque Forestus *observ. lib.* XXIX. *observ.* X. *p.* 86. quendam in Nosocomio Delphensi, articulis digitorum crassam, albam, induratamque materiam instar cretæ albæ exemisse, & parietes tabulataque depinxisse, non secus ac si cretá fuissent depicta. Præter enarrata acciden-

tia quandoque etiam convulſio accedit (quam Platerus aliquando ſe obſervaſſe ſcribit, *tom.* II. *prax. lib.* III. *cap.* XVI. *col.* 571) ſed rarenter. Quæritur autem hîc ὡς ἐν παρόδῳ, qui fiat, quod non frequentiùs adſit, cum podagræ ſubiectum ſint partes membranoſæ, cauſa v. coniuncta, humor ſeroſus, acris & mordax? Capivaccius cauſam huius rei eſſe putat, quod humor ligamenta ſaltem occupet, non verò nervos & tendines. Eraſtus verò *diſput.* IV. *contra Paracelſ.* humorem aqueum & pituitoſum accuſat, qui nervis circumfuſus eos magis laxet, quàm tendat. Aſt utraque opinio talo ſuo haud ſtare poteſt, & quidem Capivaccii hoc nomine ne titivilitio digna eſt, quod ligamenta tantum podagræ ſubiectum eſſe ſtatuat. Altera verò ideò repudiatur,

tur, quod dicat humorem aqueum & pituiteum huius mali causam, qui partes magis laxet quàm tendat, cum tamen variis salium tincturis pollutus sit humor, podagræ autor, & spiritibus suis salinis partes plus tendat, quàm udâ substantiâ laxet̃. Et licet aliquando contingat tantillum partes laxari, tanta tamen laxitas fingenda non est, quæ fibras musculorum resolvat̃, & principem musculi actionem̄, contractionem scilicet versus suum principium, annihilet̃. Nam, si hoc, sequetur podagræ esse intimè coniunctam paralysin, & ποδαγρὸν esse παραλυόμενον, quod tamen ob acutissimum dolorem, quo affliguntur ægri, vix concedi posse, mihi persuadeo. Clarissimus Sennertus, præceptor meus πρὸς τὰ ἔσχατα devenerandus, *cap.* 1. *de arthrit. p.*9. longè rectiùs sentit, dum statuit̃,
arthri-

arthriticos à convulsione utplurimum esse immunes, quia partes sensui dicatæ afficiuntur, & non illæ, quæ motui προαιρετικῷ deserviunt. Hanc sententiam defendendam iudicamus.

MEMBRUM II.

Podagræ differentias & varietatem proponens.

DIfferentias, podagræ desumimus. I. à generationis modo. II. ab accidentibus. III. à duratione. IV. ab invasione. Quibus aliam à parte affectâ petitam adiicere lubet. Generationis modus hanc suppeditat differentiam, quod alia sit hæreditaria, alia non-hæreditaria. Hæreditaria à parentibus iure hæreditario confertur liberis, & quidem mediante principio vitæ nostræ, seu semine vitali, in quo

spiri-

ſpiritus deliteſcunt, non ſolùm partium σκιαγραφίαν, & naturalem earum conſtitutionem, ſed & ſeminium fixi iſtius mali, ſeu characterem quendam ſecum adſportantes, & fætui ingenerantes. Seminium autem iſtud nihil aliud eſt, quàm Sal quidam fixus, qui ex tribus principiis hypoſtaticis ſolus generat morbos, fixas radices habentes, hæreditarios intelligo. Quod verò ſal ſit generationis principium, inde conſit manifeſtum, quod nimirum ſales inveniantur, qui in terram immiſſi, plantas è quibus parati fuere, propullulare faciant. Hîc obiter movetur quæſtio, qui fiat, quod character iſte aliquando non in liberis, ſed in nepotibus demum evigilet, eoſque avis reddat ſimiles? Id fieri autumo (1) ubi ſaltem unius parentis ſemen morbido vitio inquinatur, alterius autem

tem balſamo naturali abundat, tum morbidum iſtud vitium à vigore balſami alterius parentis emendatur, eique ſufflamen quaſi ponitur ne in ſobole ſe exerat. (2) uteri materni optuma conſtitutio hic plurimum iuvare poteſt, ut videmus in quibuſdam plantis, quæ ex agreſti loco in hortum tranſlatæ, & fæliciùs & lætiùs in altum aſſurgunt, ac melioris fiunt conditionis. (3) Victus ratio etiam haud excludenda eſt, quippe, ſi podagri filius optimo vivendi regimine utatur, nepos autem illius haud accuratè ſervet diætam, ſed in pluſculis delinquat, accidit, ut nepos podager fiat, non autem filius. Nec tantum in morbis hæreditariis id contingit, ut character ſeu ſigillatio in nepote demum ſe prodat, ſed & in aliis. Ita Helis mulier, cum Æthiope congreſſa,

non

non filiam peperit formâ Æthiopis, sed natus ex illâ erat Æthiops, *Aristot. lib.* 1. *de generat. animal. cap.* xiix. Non-hæreditaria podagra aliunde, quàm ex parentum semine contrahitur. Accidentia podagræ aliam faciunt nodosam, pedum iuncturis nodos seu tophos apponentem, unde περικονδυλοπωροφίλα nuncupatur, aliam nodis carentem, aliam cum febre, aliam sine febre, &c. Aliqui etiam podagram Gallicam statuunt, in quâ virulenta pedetentim, ex spurco cum illice congressu, excrementa congeruntur, totum periosteum dolore multantia, citra manifestum tumorem. Dolorem hunc, qui noctu potissimùm, & instantibus τῶν ὡρέων μεταβολαῖς, exacerbatur, comitantur quandoque serpigines, interdum & φύματα propullulant, si malum altiùs egerit radices. Sed

cum

cum dolor iste tibias plerumque infestet, nec veræ arthritidis nomine insigniri possit, eius hîc meminisse sufficiat. A duratione alia inveterata, alia recens & nova appellatur. Invasionis respectu, alia cum periodo invadere statuitur, alia sine eâdem. Pars affecta hanc suggerit διαφορὰν, quod alia pollicem, vel omnes pedis digitos, alia metapedium, alia tarsum seu pedium affligat. Digitos affligens *Dactilagra*; Metapedium occupans *Metapediagra*; Tarsum verò seu pedium occupans, *Pediagra* nominari potest. Et quamvis à nemine ita distinctam legerim podagram, attamen non absurdè me facturum arbitratus sum, si ita dividerem, cum in primo insultu sæpè podagra tantum pollicis articulum adoriatur, tarso aut metapedio salvis existentibus; aliquando malleolos

infestet, pedum digitis in vado relictis.

Sectio II. Practica.

Membrum Primum.

Podagræ σημασίαν expediens.

Signa secundùm Autorem *definition. medic.* nihil aliud sunt, quàm τῶν ἀδήλων δηλωτικὰ, & dispescuntur in διαγνωστικὰ, προγνωστικὰ, καὶ ἀναμνηστικά. Nos posterioribus suo loco relictis, duobus sequentibus Articulis, de signis diagnosticis & prognosticis, in quantum nostrum concernunt affectum, unicè agemus, & quidem διὰ βραχέων.

ARTICULUS Primus.

Signa Diagnostica.

DIagnostica signa sunt vel παθογνωμονικὰ, quæ ex ζυνδρομῇ multorum exstructa affectum ipsum indicant: vel αἰτιογνωμονικὰ, quæ caussas detegunt morbificas: vel διαιρετικὰ, quæ affectum ab affectu discriminant. Signum podagræ χαρακτηριστικὸν, seu παθογνωμονικὸν, exhibet cumprimis dolor & impotentia motus, quam haud raro comitatur tumor, ardor & rubedo partis: Hinc Plautus *in Mercator.* accommodatè: *Nec podagricus nec articularius est, quem rus ducunt pedes.* Dolor autem initiò plerumque pollicis articulum aggreditur, mox metapedium, vel etiam malleolos. Ubi malum inveteratum & iam confirmatum, insuper tophi acce-

dunt, qui nodosæ podagræ certissimi indices. Iam iam imminere malum, & fores sui domicilii pultare indicant sæpè, si ægrum horror corripiat, lotium turbetur, venæ distendantur, & ampliores reddantur, ac insuper levis quædam molestia sentiatur in pedibus. Crat. *Consil.* CCXXIV. indicium adventantis podagræ certum esse pronuntiat, quoties sudor supprimitur, & urina pauca est. Hoc in iis podagrosis saltem locum habet, qui extra paroxysmi tempora, spontaneo naturæ instinctu, crebrò sudare & ita à podagrâ sese præmunire consueverunt. In his siquidem, corporis integumento, ab aëris ψυχρότητι, balneis frigidis, & adstringentibus, densato, & ita poris occlusis, serosi humores restagnant, & postmodum, nisi à renibus absorbentur, & foràs egeruntur,

tur, ad imbecillos prorumpunt pedes. Humorum, potissimùm serum ad pedum articulos comitantium, signa varia sunt, pro diversitate humoris unà cum sero concitati. Nam si pars affecta insigni rubedine tingatur, αἱματοφλεβοισάσεις seu venæ & arteriæ distentæ satis conspiciantur, æger plethorâ laboret, indicium est, sanguinem sero iunctum in pedes irruisse. Si verò tumor mollis & albicans adsit, æger diætâ φαύλῃ καὶ φλαύρῃ, pituitam congerente, utatur, humorem pituitosum indubiè sero se adiunxisse comitem existimandum. Ardor, tensio, ac subflavescens partis color, corporis constitutio calida & sicca, & id genus, bilem præsentem arguunt. Verùm hi humores cum proximè podagram non excitent, ut fusiùs declaratum ante, sed vel concitati

unà cum ſero, vel etiam à dolore, atttracti, eò procumbant, tumorem in partibus exterioribus generantes, etiam in eorum ſignis recenſendis noluimus eſſe operoſi.

Ne autem imperiti, ut quandoque fit, podagræ primitias pro eryſipelate habeant, ſigna quædam adferenda ſunt, quibus podagra primùm invadens ab igne ſacro diſtinguatur. Primò pars affecta hos diſcriminat affectus, quod ſcilicet podagra vel pedum articulos, vel metatarſum, aut malleolos occupet, eryſipelate plerumque in imo tibiarum florente. (2) dolor eryſipelatis mitior eſt, multò ferocior in podagrâ. (3) Calor in eryſipelate longè ferventior, utpote qui cutim aliquando adurit, & veſiculas excitat. (4) rubedo partis affectæ magis florida & ignea in eryſipelate, quæ etiam cute leviter

preſſâ

preſsâ diſpaleſcit, rurſuſque redit, & ſæpè ad vicina ſerpens in latum ſe diffundit, ſecus ac in podagrâ. (5) tumor rarò viſitur in eryſipelate, frequentiſſimè in podagrâ. Ab aliis pedum affectibus facilè diſtinguitur noſter affectus, ideoque haud opus eſt, ut hiſce immoremur.

ARTIC. II.

Prognoſtica.

PRognoſtica quod attinet, notum eſt, podagram ſive hæreditariam, ſive non hæreditariam, morbum eſſe ut plurimum δυσαπάλλακτον ac difficilem exſtirpatu, & duo illi Syri apud Lucianum id ſatis teſtantur proprio exemplo, quibus χρίσμα πατροδώρητον inunctum parum profuit. Non tamen credendum, prorſus incurabile

eſſe malum, cum plurimi vel medicamentorum ope, vel abſtinentiâ à vino, vel gaudio nimio, vel etiam terrore & conſternatione, fuerint curati. Exempla curatorum paſſim exſtant. Nobis lubentia eſt, paucula ſubiungere exempla eorum, qui conſternatione aut alio modo, mirabiliter evaſere, ac ſanitatem recuperarunt. In Italia Comes quidam erat Veronenſis, malo podagrico diu excruciatus. Hic ſudo cœlo, tempore æſtivo, captandi aëris liberioris causâ, ſe grabato affixum, in hortum quendam amænum, unà cum lectiſternio & ſtragulis, per miniſtros ſuos deportari curat, ubi ſub tegmine arboris patulæ, optumam ſpargentis umbram, pauliſper quievit, doloribus, quibus paulò ante affligebatur graviſſimis, remittentibus nonnihil. Quid fit? Ex incuriâ

mini-

ministrorum fores viridarii, seu potius horti, aperte relinquuntur, hortumque ingreditur petulans & lasciviens caper, qui ægrum in lecto dormitantem & quiescentem, post exantlatos dolores podagricos, offendit, & cum æger pedes extra lectum detineret prorsus nudatos, eos primùm blanditer lambere incipit caper. Comes dormitans, linctus sensu excitatus, pedes nonnihil retrahit, quo facto, caper irritatus ægri pedes extemplò incursat (ex retractione pedum duellum sibi indici censuit hircus) eosque aliquoties miserè ferit tum cornibus, tum capite. Patiens, cum surgere pedibusque insistere esset impotens, altâ voce inclamando advocat ministros, qui hircum iratum adhuc, suasque incursationes iterantem, vi abegerunt, eumque horto excluserunt. Hac capri

incurſatione , & ſubſequenti patientis conſternatione effectum, ut comes podagrâ ſæpè affligi ſolitus, integrè convaleſceret, nec unquam malo amplius corriperetur. Aliud exemplum podagræ virgis curatæ, non minus lepidum quàm iucundum. Decumbebat quidem Ludimagiſter plagiarius, qui in Scholaſtico olim deſudans pulvere rigidior cenſebatur in exigendis puerorum pœnis. Hic arthritide manuum pedumque correptus, nullis iuvari potuit ab ante petitis remediis. Tandem circumforaneus quidam, ridicularia tractare ſolitus, homo robuſtæ & procerioris ſtaturæ , cuius nates olim in iuvenili ætate ab eodem Ludimagiſtro ferulis duriuſculè erant exceptæ, ex improviſo advenit, certam curationis ſpem ægro faciens , ſi medicamentum amarum aliàs, à ſe

ad-

adhibendum vellet admittere. Æger restitutionis cupidine ductus, in curam consensit, ac insimul certum ex ære Minervali, avariter corraso, pollicitus est præmium. Antequam autem curam aggrederetur Ægyrta, adstantes omnes domo exesse iubet, & solitudine impetratâ, hunc in modum remedium ipsi applicat. Foribus conclavis benè obseratis, ægrum dolore fessum ac imbecillem accedit, & stragulum (quo tegebatur) elevatum ipsius capiti insternit, mox virgis arreptis pedes patientis miserrimè cædit, innumeras vibices ad fluxum usque sanguinis eidem infligit, & ita Ludimagistrum, formidine totalis excidii crepitus polentarios edentem, ac miserè clamantem, reliquit, protinus in pedes se coniiciens, ac fugâ abitum parans. Hîc etiamsi diu ex plagis in-

inflictis peſſimè haberet, convaluit tamen, & podagroſus haut exſtitit amplius. Alii autores alia habent exempla. Guilielmus Fabricius *Centur.* I. *epiſt.* XLVII. hanc refert hiſtoriam: Podager erat tetricus quidam, ac maledicendi ſtudio planè deditus, hunc diu lecto affixum homo quidam feſtivus, qui linguâ eius petulanti paulò ante læſus erat, ſub crepuſculum veſpertinum accedit, & quidem larvatus Æthiopis inſtar. Æger inſolentiâ formæ, ſolitudine & crepuſculo perterritus, quærit quis ſit, & unde venerit, alter nihil reſpondens propius lectum accedit, & brachiis quæ & ipſa arthritide laborabant, ægrum arreptum dorſo imponit, & ita pendentem, & vociferantem, extra cubiculum effert, pedes illius gradibus, per quos deſcendebat, vehementer allidens. Poſt ubi in

areæ

areæ pavimentum ventum esset, onere deposito, hominem sistit in pedes, nihil locutus, tantùm intuens, mox accurrit, quasi correpturus denuò, & extra domum elaturus. Ibi qui ante ne insistere quidem potuerat pedibus, illico gradus cursu repetit, superat, ad cubile contendit, & per fenestras clamore totam viciniam excitat. Accurritur: anhelus & penè exanimatus narrat, à spectro se è lectulo extractum, & extra cubiculum elatum, tractatum miserrimè, & nisi nomen Iesu ingeminasset, de se actum omninò fuisse. Hic convaluit, nec unquam podagrâ fuit correptus. Aliam historiam itidem mirè restituti podagri recenset Libavius, *epist.* LXXIII. *ad Sinzerum in Cistâ Medicâ Hornungi*, & quidem in hunc modum: Patiens erat hospes publicus. Medi-

cus quidam Nobilis eques, qui pactus ccc. florenis sanitatem promisit, & recepto autographo curam aggressus est. Patiens iussus est pedes imponere trunco ligneo. Aderant fortes servi Nobilis, qui sedentem tenerent. Ipse nobilis, ferreo malleo instructus, sex clavis pedes affixit ligneo trunco, moxque miserabiliter clamantem ęgrotum reliquit, ac se in equos coniecit. Interim crebrò expiscatus est, num morbus fuisset reversus, cognitoque iam elapso triennio non rediisse, ipse repetiit hospitium, & iocatus cum hospite cognovit de sanato morbo. Itaque Chirographum produxit, & se Medicum fuisse ostendit, poposcitque σῶστρον. Consensit hospes, licet crudeliter tractatus, equitem tamdiu pavit cum suis, donec trecenti floreni essent consumpti. Ita

ex relatu venerandi hoſpitis, Dn. D. Quiſtorpii habeo, Lubecæ fuiſſe Mercatorem quendam podagrum, cui in hemicyclo ſedenti, de improviſio vas butyro plenum in pedis pollicem à nauta quodam Roſtochienſi devolutum fuit, unde & conſternatur, & poſtmodum in vita ab omni podagræ inſultu liber exſtitit. Sic & carcer & equuleus ſeu tortura, quibuſdam profuit. Narrat Guilhelm. Fabricus, *Obſerv. Chirurg. Centur.* 1. *obſerv.* 79. *p.* 217. arthriticos duos, gravium facinorum inſimulatos, Bernam fuiſſe adductos, qui incarcerati, & torturæ multoties ſubiecti, intrepidè innocentiam ſuam tuendo, liberos ſe tandem reddiderint. Horum alter pluſculos annos miſerrimè podagrâ cruciatus, à torturâ poſtquam thermis Valeſianis eſſet uſus, pleniſſimè ſanita-

nitatem recuperavit: alter verò arthriticis doloribus, quibus ante torturam affligebatur, deſubitò abſolutus fuit. Cauſam curationis ut obiter adſcribam, arbitror eam eſſe vel ἔκκρισιν materiæ, vel eiuſdem παλινδρομίαν. Nam eorum exempla quod attinet, qui terriculamentis & conſternatione evaſerunt, ſciendum, in terrore ac metu ſanguinem & ſpiritus concitari, conturbari, commoveri, & à corporis peripheriâ ad centrum, à membris exterioribus ad interiora abripi: quemadmodum contrarium accidit in furore ac irâ, ubi ſanguis & ſpiritus longè aliam affectant viam, à centro ad circumferentiam iter legentes, & extimas partes mutabili rubore inficientes. Itaque in terrore ac repentino metu, aliquandò contingit, ut humores vitioſi, fugæ ſubſcribentes, ac

talaria induentes, ſanguini ſpiritibuſque ſeſe ſocios applicent, & unà iter ad interiora ingrediantur. Idem podagricis, ex improviſo territis ac conſternatis, evenire reor, ut ſcilicet humor ſalſugineus circa articulos ſerociens agitatus ac commotus, unà cum ſanguine (qui eius ὄχημα eſſe conſuevit) ad ſuperiora feratur, quemadmodum aliàs ob iram concitatam ad pedes prolabi ſolet. Quod autem in interiora corporis receptus hic hoſpes nullam gravem excitet noxam, inde eſſe opinor, quod ſanguinis naturali ſero aſſociatus & coniunctus, ab eodem confeſtim invitetur ad ſubeundum hoſpitale renum tuguriolum, quò allectus ulteriùs à ſocienno ſuo per ureteres ad veſicam deducitur, & paulò poſt terram perpluere & ſubigere iubetur, qui ante ne calcare
qui-

quidem eandem dignabatur, in priori hospitio superbè satis tumultuans, ægroque miras molestias creans. Nec miretur aliquis, humorem tartareum ad vias devolvi urinarias, cum meticulosi, in angustiis & discrimine constituti, præsertim mulieres, crebriùs ad urinam reddendam à naturâ instigentur, vacuâ etiam existente vesicâ. Qui verò cruciamentis & torturâ liberantur à malo podagrico, hi sanitatem humoris tartarei partim evacuationi, partim dissipationi, partim etiam recursui ad interiora referant acceptam. In illo namque, cui pedes trunco ligneo affigebantur, & altero illo Ludimagistro virgis cæso, humor tartareus cùm per patentia loca manifestè, tum insensibiliter per ipsos poros discussione evacuatus fuit. In illo verò, quem caper cornibus incur-

incurſans reſtituit, cauſam morbificam & ἀδήλῳ διαπνοῇ in auras evanuiſſe, & regreſſum inſtituiſſe arbitramur, quemadmodum hoc etiam equuleo curatis evenit. Sed redeamus ad prognoſtica.

Cæterùm qui podagri ſanabiles, qui inſanabiles ſunt, edocet Hippocrates *lib.* II. *prædict. p.* 73. ubi ita ſcribit: ὅσοι μὲν ἢ γέροντες, ἢ (rectiùs legitur καὶ) ἐπὶ τοῖσιν ἄρθροισιν ἐπιπωρώματα ἔχουσιν, ἢ τρόπον ταλαίπωρον ζῶσι κοιλίας ξηρὰς ἔχοντες, οὗτοι μὲν πάντες ἀδύνατοι ὑγιέες γίνεσθαι ἀνθρωπίνῃ τέχνῃ, ὅσα ἐγὼ οἶδα. ἰῶνται δὲ ἄριστα μὲν δυσεντερίαι, ἢν ἐπιγένωνται, ἀτὰρ καὶ ἄλλαι ἐκτήξιες ὠφελέουσι κάρτα, αἱ ἐς τὰ κάτω χωρεία ῥέπουσαι. ὅστις δὲ νέος ἐστὶ, καὶ ἀμφὶ τοῖσιν ἄρθροισιν οὔπω ἐπιπωρώματα ἔχει, καὶ τὸν τρόπον ἐστὶν ἐπιμελής τε καὶ φιλόπονος, καὶ κοιλίας ἀγαθὰς ἔχων, ὑπακούειν πρὸς τὰ ἐπιτηδεύματα, οὗτος δὴ ἰητροῦ γνώμην ἔχοντος ἐπιτυχὼν, ὑγιὴς

ὑγιὴς ἂν γένοιτο. *Quicunque aut ſenes ſunt, & circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut ærumnosè viuunt, ſiccam aluum habentes, hi omnes ſani fieri haud poſſunt humanâ arte, quantum ego noui. Sanant quidem hos, optimè dyſenteriæ, ſi ſuperuenerint, ſed & aliæ eliquationes valdè proſunt, quæ ad infernos locos repunt: Qui verò iuuenis eſt, & circa articulos nondum callos tophaceos habet concretos, & accuratè viuit, & laboris amans eſt, & aluum bonam habet ad obediendum, pro ſtudiorum curatione, hic ſanè Medicum intelligentem nactus ſanari poterit.* In quo loco expreſsè, ſenibus ac iuuenibus ἀμφὶ τοῖσιν ἄρθροισιν ἐπιπωρώματα ἔχουσιν, Hippocrates ſanitatis recuperationem denegat, quod quidem Hippocratis tempore, in Regione æſtuoſa, verum fuiſſe haud diffiteor, apud nos tamen ſimpliciter adſeri non poteſt, podagros nodis decum-

decumbentes, curari non posse, cum curatorum extent exempla, & ipse viderim senem quendam quinquagenarium ferè, plurimis tophis laborantem, felicissimè restitutum. Spigelius quoque nodosam podagram, in ætate iuvenili & consistente curatam, se vidisse narrat, *p. 81. de arthrit.* Reiectaneus itaque est versiculus ille πολυθρύλλητος Ovidii, qui arti Medicæ maculam inurere gestiens, audacter canit:

Solvere nodosam nescit Medicina podagram.

Quod verò iuvenes & μεσήλικες aliquando non restituantur, id inde est, quia in diæta plurimos committunt errores, & vel Veneri, vel Baccho sunt addicti, ex quorum concubitu ortam esse Podagram comminiscuntur Poëtæ:

Λυσιμελοῦς βάκχου καὶ λυσιμελέους ἀφροδίτης γείνατο θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

Deinde etiam non ſatis diu medicamentorum uſum continuant, quæ διάθεσιν generandi ſerum, viſceribus impreſſam, expugnare, vel collectum humorem expurgare, vel denique infirmos pedum articulos confirmare valent. His accedit, quod plerumque erronibus utantur Medicis, quibus indoles podagræ neutiquam perſpecta, & qui in dolore ſedando tantùm occupantur, mineram mali flocci habentes. Curabilis itaque eſt Podagra, tam in ſenibus, quàm in adultis, ſi modò viſcera non ſint penitùs depravata, nec calido ſuo nativo exuta. (2) Si ægri nec Veneris nec Bacchi fuerint φίλοι. (3) Si medicamenta auxiliaria in tempore adhibuerint, & eorum

usum satis diu continuarint. (4) Si obtemperantes podagrosi intelligentibus & veris utantur Medicis. Quod verò nonnulli hîc dicendo ogganniant, Medicos omnium ditissimos fore, si podagrico malo obviam ire, illudque extirpare possent, id talo suo quidem staret, nisi podagrici illi simul essent Chiragrici, ac manibus ægri. Minus ergò rectè conclusit Thesaurarius ille Anglicanus, qui cum audisset, Medicum adesse, qui podagram curare posset, adstantes percontatus est, quot famulis stipatus, & quàm splendidè incederet Medicus? Cumque responsum ferret, habitu decenti eum incedere, & famulitio nullo uti, regessit Thesaurarius: Persolas esse nugas, quicquid dicerent de illo: nam si posset podagram curare, illum se longè ditiorem futurum, ac centum

tum

tum famulis ſtipatum incedere posse. Varices quoque ubi podagris ſuperveniunt, eos à doloribus liberant, Galen. *lib.* VI. *de morb. vulgar. comm.* VI. §. 8. Iben-Sina *lib.* III. *canonis*, *fen.* XXII. *tract.* II. *cap.* V. Quando verò humorum fit ἀναῤῥοποία, & colluvies circa ſiniſtrum pectoris ſinum, cui cordis turbinatus mucro ſubeſt, decumbit, atque ſiniſtræ manus digitus annularis nodum acquirit, & valdè intumeſcit, tum arthriticos mori compertum eſt, ut tradit Lemnius. Cauſam huius rei Diſarius apud Macrobium & Appion apud Agellium. *lib.* X. *cap.* X. volunt eſſe hanc, quod ſcilicet nervus quidam tenuiſſimus ab illo digito ad cor hominis pergat, ac perveniat. Verum falſum hoc eſſe, ipſa anatomica evincit αὐτοψία. Raicus *in tractat. de podagr. p.* 30. ex Chi-

Chiromanticis aliam allegat rationem, quod nempe cor, Sol Microcoſmi, ſignaturas ſuas explicet in digito illo medico, ſolari appellato. Hinc ſtatuit digitum illum cordi ξυμπαθέειν, & nodis tentatum indicio eſſe, ſimili humore affici cor. Sed & hæc ratio teruncio vix emitur, nam quod dicatur ſignaturas ſuas in digito annulari exprimere Cor, illud fictitium eſt, nec magis digitus ille cordis ſignaturam gerit, quàm pollex, verpus, & alii digiti, quibus nulla cum corde convenientia, actione ſignaturæ, intercedit. Deinde, quod δακτυλιώτης, vel annularis ille digitus, cum corde συμπαθεῖν, ac interventu aurei annuli (quo geſtamine ſæpenumerò exornatur) cor confortare fuerit creditus, id ex falſo præſuppoſito ortum ſuum traxit, nimirùm quod autumarent non-

nonnulli, ex corde venulam quandam ad dictum digitum excurrere. Itaque quod aurum, digito illi appensum, cordi robur addat, ita verum esse existimo, ac istud, quod à Plinio *lib.* XXIIX. *cap.* VI. memoriæ proditum est, scilicet singultum & sternutationem sedari, si quis annulum è sinistrâ in longissimum dextræ digitum transferat. Quod verò solaris fuerit nominatus digitus, id nullatenus ob sympathiam fuit factum, sed potiùs, quia mortales auro (Sol dicitur Spagiricis aurum) eundem redimire ac ornare consueverunt. Ubi verò vel in hydropicum morbum, vel in asthma degenerat podagra, illud ἐπιγέννημα immedicabile est secundùm Aretæum (qui primus post Galenum scriptor perhibetur) *lib.* II. *de signis & caus. diutur nor. morb. cap.* XII. Ad prognosin

etiam

etiam facit aphoriſmus Hippocrat. XLIX. *ſect.* VI. ὁκόσα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμήναντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν ἀποκαθίσταται. Quæ verba de ultimo ſaltim termino accipienda ſunt, cum aliquando cruciabilitates longè citiùs ægrum deſerant.

MEMBRUM II.

Podagræ ἐργασίαν *exhibens*.

ARTICULUS Primus.

Præſervatio.

Signorum doctrinâ hactenus traditâ, προφύλαξιν iam aggredimur, acturi, quomodo ſcilicet diſpoſitus ſe gerere debeat, ne Podagrâ infeſtetur.

Sciendum autem totam præſervationem tribus expediri. I. ut

præcaveamus, ne tartarum & serosus humor in corpore cumuletur. II. ut collectus è corpore exturbetur, antequam à natura incitatus ad inferiora ruat. III. ut articuli, vel potiùs horum iuvolucra, seu partes ambientes, firmentur, ne facilè allabentem suscipiant materiam.

SUBSECT. Prima.

Ne tartarum cumuletur.

PRimum quod attinet, certum est, his qui nihil colligunt superflui, imbecillas partes semper manere in tuto, ut habet Galenus *lib.* VI. *de tuend. sanitat. cap.* XIII. ideò omnem movere debemus lapidem, quò corpus purum servetur. Purum autem servatur corpus, ubi tartari ac serosi humoris proventum, eiusque congestionem

nem avertimus optimo vivendi regimine, & viſcerum nutricatui ancillantium reſtituto robore. Idcirco qui proclivis eſt ad podagram, in cibo & potu offenſiones maximè à ſe declinet. Ex iis enim morbi nobis affluunt, è quibus vivimus: ἐκ τούτων νοσοῦμεν, οἷς καὶ ζῶμεν, inquit Diogenianus apud Plutarch. VIII. *Sympoſiacorum, quæſt.* IX. Quapropter omnia eſculenta durioris concoctionis, & mali ſucci, potiſſimùm quibus ad ſaporem gulæ ſal cœpit tabeſcere, vel quæ muriâ aut ſalſilagine condita, & obdurata, quæ ſuillo ſanguine, admiſtis ſale & arvinâ, farta & poſtea infumata ſunt, ſtudiosè devitet. Carnes taurina, porcina, anatum, anſerum, ad bonum ſuccum generandum peſſimæ ſunt. Aliqui etiam gallinarum (cohortales pullos excipio) & caponum

carnem improbant, scribitque Crato *Consil.* CCLXIV. Caponem peculiarem succum habere, quem natura ad articulos depellat. Inter pisculenta Cyprinos fugiat, podagris mirè noxios, refertque Iulius Alexandrin. *lib.* XV. *salubr. cap.* IX. se novisse quendam, cui esu Cyprinorum podagra erat perpetuò parata. Anguillæ, etiamsi Atheneo πάντων ἰχθύων εὐχυλότεροι dicantur, tamen glutinosâ suâ pinguedine & humiditate nocent, & insuper pravum succum generant. Ostreæ, acipenseres, squillæ (ob quas vivas devoratas iuvenem quendam extinctum tradit Forestus *lib.* XIIX, *obs.* XXVI. *in schol. p.* 136.) aselli pisces, aleces crudæ conditaneæ, passeres Græcis & Germanis πλατεῖς nuncupati, soleæ & rhombi, maximè exsiccati, repudientur. Placentam πηγανίτην Atticis dictam,

& alia itria in sartagine tosta despiciat, nec cibis victitet in vasis æneis coctis, seu præparatis. Nam si quid intestinis, & omnibus membris naturalibus nocet, imò vitam lædit, coctura ciborum in æneis vasis hoc facit, adstipulante Cratone *Consil.* CXVII. E bellariis pomorum usum quoque interdicunt Medici, ob nimiam eorum humiditatem, imò Gerhardus Bergensis *de præservat. & curation. morb. articular. p.* 27. & Paræus *lib.* XVII. *Chirurg. cap.* XII. citria & aurantia mala vitari iubent, quæ si noxia sunt, ob salem armoniacum acidum naturæ, noxia esse debent. Leguminum quoque esus crurum impotentes facit, teste Hipp. II. *epidemior. sect.* IV. *p.* 490. Quantitatem ciborum quod attinet, in iis τὸ μετρίου nunquam excedat, sed potiùs à mensa assurgat, reliquiis desiderii

adhuc in animâ remanentibus, ut habet Iben-Sina *lib.* I. *fen.* III. *doctrin.* II. *cap.* VII. *p.* 62. Nec varia edulia ingerat, verissimum namque est, quod vulgò dicitur: τὸ ποικίλον τῆς διαίτης ποικίλα νοσήματα τίκτει. Hinc Galenus VI. *aph.* XXIIX. *in Comm.* Hippocratis tempore propter vitæ moderantiam paucos podagrâ laborasse tradit: suis verò temporibus usque adeò auctis eduliis, ut nihil eis addi posse videretur, infinitam podagrarum fuisse multitudinem. Pisces itaque & carnes in eâdem mensâ ne commisceat, neque comedat unquam, nisi calidos & siccos senserit pedes. A cibo sumpto statim literis inhiare flagitium sit, cum hâc ratione insigniter coctio turbetur, & cruditates mucilaginosæ accumulentur. E poculentis odio Vatiniano prosequatur vinum, hoc enim

enim ob tartarum solutum, quod intimè vino adhærescit, & postmodum languente secretice facultate in corpore restagnat, tum ob admistū sulphur, quo vina œnopolæ φιλοκερδῶς infucant, nimiopere incommodat. Hinc abstemii immunes vixere à podagrâ, refertque Celsus *lib.* IV. *cap.* XXIII. quosdam, cum toto anno à vino & venere sibi temperassent, securitatem totius vitæ consecutos: & Campanella *p.* 384. se vidisse Alexandrum quendam quinquagenarium à malo hoc liberatum ob abstinentiam vini. Ita Solenander *section.* V. *Consil.* I. *p.* 433. se novisse scribit viduam quandam Hispanam, quæ ob vini usum planè intermissum, ampliùs podagrâ non fuit tentata. Nec id de nihilo, nam si quid est, quod tartaro gaudeat, profectò vinum est, quod è vite salem copio-

ſiùs attrahit, eumque arctiſſimo nexu ita ſibi iungit, ut ne diſtillatione quidem penitùs ab eodem diſſociari poſſit. Quod verò vites tartaro abundent, arguunt cineres earum clavellati, è quibus acutiſſimus elicitur Sal, & quidem copiosè, qui cum reliquis collatus ſalibus iis longè ſuperior eſt, acrimoniæ reſpectu. Hoc tartarum ex terrâ matre exſorbent, quæ in quibuſdam locis adeò acri & ſubtili imprægnata eſt Sale, ut ex eâdem certo tempore effoſsâ ſpiritum elicere poſſis, omnium metallorum ſolutivum. Nec vinum vel colore fulvum, aut rubellum, vel Gallicum illud de Gaſcogne dictum, tutò conceditur, quod facit Arnold. de Villâ novâ *in regim. podagr. p.* 210. Sachetus *in retractat. de podagr. & arthrit. morb. cap.* XII, *p.* 86. & Foreſtus *lib.* XIX. *obſerv.* I. *p.* 10.

cum

cum & rubrum tartaro sit instructum, & improbetur à Campanellà *lib.* VI. *medicinal.p.*382. Imò nec potûs genus, quod ex uvis passis, molâ contritis, conficiunt Turcæ, & *Arab sorbet* nuncupant, podagro indulgeri posset, cum caput & pedes tentet, ut habet Busbequius *epist.* 1. *p.* 92. Cerevisiam crassum sanguinem generantem (ut est Porussorum Regiomontana) vel ex argillosâ aut impurâ aquâ coctam, vel ex hordeo putrido, aut in iniquo solo enato, præparatam, cum obstructiones gignat, ac tartarum congerat, fugiat. Imo dixerim illam quoque cerevisiam noxiam, quæ in Curlandiâ non in aheno, sed in ligneo vase coquitur, adhibitis silicibus ignitis, utpote, quæ ex lapidibus tartareum quid in se derivare, & ita labem contrahere potest. Anglicanam, *paddeloyle*

dictam (quæ statim ubi cocta est, urceis lapideis excipitur subere obturandis, & ita in hypogæo asservatur) itidem minus convenientem esse arbitror, cum nimiùm refrigeret, & ἐμφράξεις pariat. Noxium quoque est, & nervis exitiosum, tempore æstivo cerevisiam, cantharis aut lagenis inclusam, aquæ puteanæ immergere, quæ per se frigida satis, vel glacie, aut sale nitri iniecto frigidior redditur. Qui mos in Hungariâ adeò frequens est, ut & rustici messis tempore vinum glacie frigorificâ temperent, vel solis æstu urgente glaciem ipsam in locis subterraneis (specus est in Zepusio, in quâ per hyemem aqua fluida, æstate verò ita congelata est, ut refrigerandis poculis inde quoque glacies petatur) copiosè asservatam & regelatam sitibundi ingurgitent.

Som-

Somno & vigiliis moderatè indulgeat, quippe ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακόν, docente, Hipp. II. *aph.* III. Et quidem ſomnus moderatus, & iuſto tempore captus, viſceribus cibus eſt, ut idem Hippocr. VI. *epidemior. comm.* V. *text.* IX. tradit, immoderatus verò iure peſtis appellari poteſt, cum excrementis in corpore cumulatis, & ſuperfluis cohibitis, calorem nativum obtundat, eumque torpidum reddat. Nec etiam ſtatim à cibo ſumpto, ſed horis ad minimum duabus elapſis ſeſe conferat cubitum, niſi ſit ventriculo imbecilliore, vel aſſuetus mox adire lectum, ubi epulis exempta fames. Ita nec meridiatio licita eſt, niſi ſtomachi βραδυπεψία, & conſuetudo aliud iuſſerint. Vigiliæ nimiæ bilem & ſeroſos humores acuunt, ſpiritus ac

humidum radicale abſumunt, & ita homini ſua fata accelerant. Peſſimè itaque vitæ ac ſanitati ſuæ conſulit, qui integras ferè noctes ſtudiis conſumit, reddit namque ſeipſum ταχυθάνατον, & inter αὐτόχειρας verè ſuum profitetur nomen. Veneris caſtra rarò adeat, & ſi omninò ab eius illecebris ſibi temperare poſſet, vellem ut illud κυάμων ἀπέχου (Spigelio teſtes κύαμοι vocantur, unde enatum putat iſtud Pythagoræ monitum, *lib.* VIII. *de human. Corpor. Fabric. cap.* XVI.) accuratè ſervaret æger, & nunquam Veneris ageret militem. Libidines namque, teſte Senecâ, pedum, manuum, articulorumque omnium depravationes adferunt, non ſecus ac nervorum torporem, tremoremque ebrietates, ac epulæ variæ cruditates pariunt. Hinc eos, qui ſemper (cum

Plauto loquar) enixè curant, ne ſint inteſtabiles, & quod amant, amant teſtibus præſentibus, malo huic ſæpiculè obnoxios eſſe novimus. Imò veneris uſus nimius humores non tantum ad infirmos præcipitat pedes, ſed & ſpiritibus corpus ita quandoque exhaurit, ut & repentinam intulerit mortem, quemadmodùm de Cornelio Gallo, & T. Haterio legimus, quos inter uſum veneris abſumptos narrat Valerius Maximus, *lib.* IX. *cap.* XII. *p.* 290. In motu & quiete ita quoque ſe gerat, ne quid intertrimenti inde capiat corpus. Exercitium itaque paſtum antecedat, & hebdomadatim corpus, optimè prius evacuatum, bis exerceat, ad ſudorem uſque. Nihil enim utilius in depellendâ podagrâ, quam ſæpiculè ſudare, abſque virium deiectione, & mutatâ

tatâ interulâ frugaliter prandere. Quod verò Capivaccius autumet *Conſil.* CCXXXII. caligas infra genu non eſſe ligandas; eò quod ἀνάδεσις illa faciat ad podagram inducendam, id nihil eſt, & facilè malo huic obviam itur, laxiore adhibitâ ligaturâ, vel etiam laxas braccas induendo, quæ in inferiore parte ſub genu (ut iam moris eſt apud variantem indumentorum gentem) irreligatæ prorſus habentur. Alvum ſingulis diebus conquiniſcens deiiciat, & ſi evacuatio aliqua naturalis ſuppreſſa eſt; advigilet, ut reſeratis viis illa revocetur, ac ſuperfluum educatur. Ad egerendas alvinas fæces illi, quibus ſegnior eſt facultas excretrix, ex ſale foſſili Tranſylvanicô, aut Polonico; apud tornatorem ſuppoſitoria aliquot ſibi torniari curent, quæ ano intruſa dictam facultatem irritant,

eîdem-

eidemque ſuppetias ferunt ad excludendum ſulphur iſtud fætidum, cottidiè deponendum. Poſt uſum glandes eiuſmodi ablui, & reponi poterunt. Animi παθήματα proſcribat, quæ calidum nativum peſſundare, & humores accumulare queunt. Iram imprimis deteſtetur, cuius iudoles πυρίπνοος corpus accendit, τὰ περιττὰ commovet; & ad deſcenſum invitat.

Viſcera nutricatui deſtinata roborentur, & quidem ventriculus & hepar. Huic negotio inſervire poteſt Tragæa Brunneri, cuius vires *Conſil.* LXXIII. *p.* 308. prolixè enarrat, & de quâ à cibo ingeſto tantum exhibet, quantum dimidio ovi putamine concluditur. Eius αὐτοσχέδιος γραφὴ hæc eſt:

℞. *Semin. Coriandr. præpar.* ℥ vi.
anis.
fænicul.

Cina-

Cinamom. an. ℥ iij.
Cortic. aurantior. ℥ ß.
Nuc. Moschat. ℥ i ß.
Calam. aromat. ℥ j.
Corallor. rubr. præpar. ℈ ij.
Sacch. rosat. tabulat. ℥ j.
Cand. alb. ℥ i ß.
M. F. Tragæa.

Pulvis quoque pepticus Cratonis, Digestivus Quercetani, morsuli Imperatorii, elixir propriet. Par. Extract. calam. aromatic. vel rotulæ ex eodem confectæ, aut simile quid, in constitutione frigidâ locum habere possunt. Huc facit etiam destillatum illud, quod à quibusdam extollitur:

℞. *flor. rorismarin.* ℥ xij.
Cinamom.
Caryaphyllo. an. ℥ ij.
Cubebar. ℥ i ß.
Zingiber. ℥ ß.
Spirit. vini rectificati q. s.

per

per dies tres infusa destillentur in M. B. destillati liquoris ℥ ß vesperi & manè exhibeatur. Hoc destillatum etiam in curatione ægro propinari potest, corpore purgato, & partibus exterioribus liquore anodyno inunctis. Hepar ubi calidius est, conveniunt rad. cichor. condit. vel illarum conserva, cui aliquid specier. diatr. santalon, & diarrhod. Abbat. admiscendum. Spigelius *de arthritid. p.* 87. nihil magis convenire arbitratur, quàm pulverem foliorum cichor. sylvestris, Maio mense collectorum, & in umbra exsiccatorum, cuius ʒ j vel ℈ ij. cum iure pulli non saliti manè quatuor horis ante prandiũ, & vesperi ante lecti ingressum, cænâ vel neglectâ, vel parcè administratâ, ingerat æger. Hoc pulvere, duobus vel tribus vicibus continuis sumpto, incipientes fluxiones

cessasse, & paroxysmum breviori tempore durasse, vidit Spigelius. Spiritus Vitrioli hîc quoque locum habet, quem Paracelsus *tom.* VI, *p.* 133. etiam in curatione ipsâ, tàm intra, quàm extra adhibendum, commendat. Possunt etiam ægri ad acidulas proficisci, quæ viscera interna roborant, & generationem tartari impediunt. Has inter Spadanæ extolluntur, in districtu Leodiensi, habenturque ibidem quatuor diversi fontes, Savenirius, Pouhontius, Geronster, & Tonneletius. *Savenirius* à pago Spa orientem versus seiunctus est, rubricâ seu ferri matre, ochrâ, ære, sulphure, vitriolo, nitroque gaudens. *Pouhontius* in pago ipso situs, ac ferri, æris, plumbi, chalcanthi, sulphuris, aluminis, nitri, cerussæ viribus imbutus. *Geronster* Savenirium in multis superans ac

horæ ſpatio meridiem verſus à pago diſtans, chalybis viribus maximè inſtructus eſt. *Tonneletius* inter Savenirium & Pouhontium ad latus deflectens, vitrioli & ſulphuris minus, plus ſalis nitri obtinere creditur. Ex fontibus hiſce Geronſtrum ac Savenirium eligat, eorumque aquas, ſudo non pluvio cœlo, & quidem æſtate & autumni initio, plenis cyathis aſſumat, uſum illarum aliquandiu continuans. Ita viſceribus ſuum robur ſenſim redibit, obſtructiones reſiduæ expedientur, ac humor ſeroſus partim per alvum, partim per urinam & ſudorem evacuabitur. Hoc tamen accuratè notandum, ne podagricus ad uſum dictarum acidularum admittatur, antequam corpus fuerit purgatum, quippe metus eſt, ne ſaburratum, & humoribus affluens corpus, aquis ebibitis turbetur, &

materiæ copia ad infirmos pedes ablegetur, quemadmodum evenit Canonico cuidam Namurcensi, referente Henrico ab Heer Tungro, *in Spadacren. cap.* IX. qui purgationem negligens, statim ad aquas gutture anhelo prorupit, & ita podagram & chiragram, aquarum sequiori usu sibi accersivit.

SUBSEC. II.

Vt tartarum exturbetur.

COllectus in corpore humor, antequam ad pedes ingreditur iter, variis modis evocatur, nimirum venæ sectione, emeticis, catharticis, hydropicis, & iis quæ per ἄδηλον διαπνοὴν superflua educunt.

Vere itaque & autumno, quibus temporibus τὰ ποδαγρικὰ ut plurimum moventur ex mente Hippoc. VI. *aphor.* LV. si is, qui à podagræ

impetu se tueri velit, πολυαιμίᾳ laboret, alvo prius clystere deiectâ, venam brachii sibi tundi, & sanguinis, quantum sit satis, evacuari curet. Nam etsi antiquitùs, venâ incisâ, sanguinis emissio ignominiosa censeretur, ut militaris animadversio in milites improbos, teste Agellio *lib.* x. *noctium Atticar. cap.* IIX. *p.* 351. nostro tamen & antecessorum seculo ignominiosa haut exstitit, sed potiùs inter decantata plurimorum morborum remedia semper fuit habita. Ita in nostro affectu usque & usque laudatur, si æger sit plethoricus, scribitque Celsus *sanguinem semel missum in arthritide annuam promittere sanitatem.* Nonnulli etiam προφυλάξεως causâ singulis mensibus venas ad pedum pollices secant, idque aliquoties repetunt. Alii plantis pedum in interlunio quovis mense

cucur-

cucurbitulas ſine ſcarificatione affigunt, refertque Sennertus, ſe noſſe virum nobilem, qui ſolo ferè harum uſu podagram præcavet. Verùm enimverò an in quovis ſubjecto id experiri liceat, equidem in crepero res eſt, cum ex appoſitione harum cucurbitularum materia copioſiùs allici poſſit. Paracelſus *tom.* x. *lib.* 1. *archidox. Magic. p.* 328. plantas pedum, & reliquas partes dolore affici ſolitas, Lunâ creſcente, quovis octiduo ſemel, ſcarificari, & poſtmodum locum ſcarificatum unguine ſympathetico ad ignem accuratè inungi iubet. Unguentum tale eſt: Sumatur ſanguis hominis podagrici, ſive ſcarificatione ſive venæ ſectione prolectus, ac ægro inſcio in B. M. ter deſtilletur, igne mitiori. Poſtea:

℞. *Dicti liquoris* ℥ vij.

axung. human.
ursi,
Succ. sedi maior. an. ℥ j.
Ol. rosacei.
Sapon. Venet.
Medull. bovin. an ℥ ß. M.

In sartagine cupreâ coquantur ad consistentiam unguenti, materiâ continuò spatulâ agitatâ. Unguentum hoc ex mente Paracelsi, podagram novem hebdomadarum spatio curans, quò annosius, eò melius esse creditur, viresque suas frigido expositum loco, integrum decennium sartas tectasque servare dicitur. Alias quoque venas ratione προφυλάξεως tundendas esse censet Paracelsus, de quibus videatur ipse, *tom.* v. *lib. de phlebotom. tractat.* v. *p.* 125. Aëtius *cap.* XXIV. ad præservandum aliquem à podagra, varicum quoque, ex sententiâ Ruffi, proponit excisionem, cuius bene-

beneficio, sanguine intercepto, podagram haut ampliùs excitatum iri censet. Verùm cum varicum extractionem partes adiacentes nutrimento priventur, & contabescant, consultius est, remedium hoc contemptui exposuisse, quam tentasse.

Qui sunt εὐημεῖς, crassâ cervice ac pectore amplo, quotannis semel aut bis evomant, syrupo benedicto, vel croco metallorum cum tartaro parato, vel etiam vitriolo vomitivo, aut coagulo asari assumpto, ita namque saburra humorum egregiè educitur, & motu contrario eidem conciliato, à partibus pedum infirmis avertitur. Mercatus *tom.* III. *lib.* IV. *cap.* XIIX. *p.* 436. ter quaterve in mense ante tempus, quo natura adsuescit dolores excitare, vomendum esse iubet, & quidem, ubi ventriculus,

&

& prima corporis regio, huic malo principium præstant. Verùm toties repetitæ vomitiones etsi utiles videantur, tamen ne ventriculus inde lædatur, & postmodum largior sit in cumulandis humoribus tartareis, præstat, ut parciores simus in excitando vomitu.

Cui emetica sordent, purgantibus utatur, maximè circa Æquinoctia & Solstitia, in quem finem Mercatus *l. c.* terebinthinæ usum cum rhabarbaro commendat, potissimùm ubi stomachus & prima corporis regio impuritatibus oppletur. Crato, trium Impp. Medicus, *Consil.* CCXXIII. has præscribit pilulas:

℞. *terebinthin. cypr.* ℥ ß.
Coq. *in aquâ malv.* donec albescat, huic adde
Rhabarb. opt. ʒ iij.
pulv. chamæpith.

ſuccin. alb. an. ʒ j.
ſucc. liquirit. ℈ j. M.

Fiant pilulæ mediocres, polline cinamoni involvendæ. Ex his capiantur N. XV. horis duabus ante prandium: poſt deglutitas autem pilulas ſerum bibat caprinum, in quo decocta ſit betonica, ac ſuperingerat ſacchari roſacei tantum, quantum cochleari capitur. Mihi electuarium Caryocoſtinum magis arridet, ſcribitque Bayrus *lib.* 1. *pract. diſtinct.* XIX. *tractat.* 1. ſe podagrâ ſæpius affligi ſolitum, uſu electuarii viginti quinque & plures annos, fuiſſe præſervatum. Deſcriptio eius hæc eſt:

℞. *hermodactyl. albor.* à cortice ſuperior. mundator.
Diagryd. an ʒ ij.
Coſti.
Cymini.
Caryophillor.

Zin-

Zingib. an. ʒ j. M. F. pulvis. Dosis drachma una, vel paulò minus: Arcanum Corallinum, & pulverem arthriticum ex hermodactylis, ossibus humanis, & id genus paratum, dilaudant alii, quibus in constitutione humidiore, Mercurium sublimatum dulcem) quem Michaël Maierus *in civitat. corpor. human, cap.* IV. *p.* 65. iniustè detestatur, Aurelium suum pulverem interim commendans) pulverem catharticū Mercurii, panacæam Mercurii, & rosam mineralem ritè præparatam & dextrè exhibitam; in constitutione sicciore pilulas antimoniales, per secessum solùm purgantes, addimus. Extractum quoque diacatholicum, dacrydion rosaceum, violaceum, mechoacannæ aut gialapæ extractum, pilulæ helleborin. seu antipodagricæ Quercetan. diatartarum

solutiv. Q. & alia usurpari possunt. Quæritur autem hìc, *utrum Tartarus vitriolatus, & cremor tartari, per se exhibenda sint in principio, corpore vitiosis humoribus referto?* Respondeo cum Barthio in Beguin. *lib.* 11. *p.* 692. Cremorem tartari, ac tartarum vitriolatum propter eximiam aciditatem valdè diuretica esse medicamenta, ideoque abducere secum humores crassos, sibi in itinere obvios, ad renes & ureteres, in quibus oppilationes excitari possunt. Ubi verò tartari ac serosi humoris huberior est proventus, ac continuata generatio, velim, προφυλάξεως causâ, non tantum vere & autumno, sed & singulis mensibus; medicamento leniter evacuante illa subduci. Catharsi peractâ natura confirmetur magisterio perlarum, à Riverio, Regis Galliæ Medico, parato, vel

etiam

etiam confectione alkermes, &c.
Sudorifera etiam plurimùm conferunt ad præcautionem, humoribus serosis à centro ad circumferentiam propulsis, & per ipsos poros sensibiliter evacuatis. Hinc Crato *Consil.* CCXI. expressè scribit. *Docti Medici omnes ab experimentis didicerunt, ea corpora, quæ multum urinæ emittunt, & sudant frequenter, minùs à podagrâ tentari: in quibus verò illa duo excrementa, sudor, inquam, & urina detinentur, ii adhunc affectum maximè proclives sunt.* Rasuram itaque cornu cervini, in petiâ ligatam, potui immersit Crato, ac deprehendit, eam & urinam provocare, & corpora ad sudorem disponere, si præsertim manè toralibus se muniant ægri, ac ita membra foveant. Hoc qui fecerint, eos à podagrâ ferè liberos fuisse narrat. Rasuram quo-

que illam aliis permiſcuit rebus:

℞. *Cornu Cervi crud.* ℥ j.
Cerv. uſt.
raſur. ebor. an. ℥ ß.
oſſ. de cru. bovin. ʒ ij.
Corallor. rubror.
albor. an. ʒ j.
Cinamom. ʒ j ß.
Sacch. alb. ℥ ij. M. F. pulvis.

Sumatur de hoc pulvere, tribus ante prandium horis, quantum cochlear poteſt capere, & quidem Vere, æſtate, & autumno. Aliàs ad ſudorem movendum, decoctum ligni Guaiaci prædicat Crato, ſcribitque *Conſil.* CCXLVII. hoc remedio non modò multos podagræ reſtitiſſe, ſed in univerſum ab ea ſeſe liberaſſe. Propinari autem non debet iis, qui ſunt hepate calidiore, & habitu corporis ſicciore, vehementer enim exſiccat, hepar ulteriùs accendit, ac humidum radicale

dicale

dicale absumit, crebrò exhibitum.

Quæ partim sensibiliter, partim insensibiliter per poros cutis τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα humoris serosi expellunt, varia sunt, & inter ea τὸ πρωτεῖον facilè obtinent (1) *extractum solis transparentis*, ab Hartmanno & Hamero Poppio descriptum, quod à ʒ j. ad ʒ iij. assumptum, sudorem movendo sanguinem à tartareâ fæce egregiè depurat. (2) *pilulæ antipodagricæ Hartmanni*, quarum descriptio exstat *in clavi & manuductione in libros Paracelsi* Iohannis Rhenani, quàm *dissertationi suæ Chymotechnicæ, sub titulo solis è puteo emergentis editæ*, subiunxit, *p.* 18. 19. Galenus *de theriac. ad Pison. cap.* XV. non modò in declinatione paroxysmi podagrici, sed & præservationis loco, theriacæ usum frequentem esse iubet. Non tamen in tantâ deglutiatur copiâ, in quantâ

eam commendat Campalongus, qui *lib. de arthritid. cap.* LVII. *p.* 71. theriacæ, mithridatii, & ſalis theriacalis doſin eſſe ſtatuit à ʒ v. ad unciam integram. Horatius Augenius *tom.* II. *epiſt. & conſult. medicinal. lib.* XII. *epiſtol.* V. *p.* 295. καταπότια quædam vehementer celebrat, dicitque eſſe medicamentum tutos à podagrâ reddens, ſi eo nec intemperantes, nec incontinentes utantur:

℞. *betonic.*
myrrh. el.
aiugæ.
rad. gentian. an. ʒ j.
pimpinell.
aloës.
Chamædr. an. ʒ ij.
Croc. oriental. ʒ j.

in pollinem redacta excipiantur melle roſato, vel ex maſsâ conficiantur pilulæ ciceris magnitudi-

ne, cum s. q. aquæ salviæ. Ex his septem deglutiantur, toto Veris tempore singulo quatriduo, reliquo mense bis aut ter eas sumpsisse sufficit. Spigelius *de arthritid. p.* 87. hoc medicamentum suam antidotum podagricam nominat:

℞. *troch. de viper.*
fol. centaur. minor.
Chamæpith.
betoni. in umbra sicc. an. ℥ j.
Chamædr. ℥ ij.
rad. gentian.
aristol. rotund.
pæoniæ.
bardan. an. ℥ j.
baccar. laur.
myrrhæ.
rhabarbar. el.
spic. nard. an. ℥ ß.
caryophill. ʒ ij.

in pulverem redacta serventur in vi-

tro, vel cum melle despumato misceantur. Pulveris exhibet ℈ j, opiatæ verò ʒ j. haustu aquæ communis tepidæ superingesto. Inter vetustiores Aëtius *tetrabib.* III. *sermon.* IV. *cap.* XLVII. antidotum, ex centauriis confectam, arthriticis adeò salutarem affirmat, ut multi, per annos quindecim podagrâ correpti, ipsius usu convaluerint:

℞. *Comar. centaur. minor.*
rad. centaur. maior.
trixagin.
gentian.
aristol. rotund. an. q. s.

Contusa & per incerniculum traiecta misce. Alii alia podagrica tradidêre medicamenta, de quibus Autores consulantur. Genuenses Carolo v. Imperatori decoctum chamædryos (cuius extractum haut inferius esse censeo) insigniter com-

commendarunt: ſcribitque Solenander, quoſdam decocto hoc, poſtquam dies ſexaginta bibiſſent, penitus fuiſſe liberatos, cum antea non ſolùm pedum, ſed & manuum articulos iſto morbo haberent diu occupatos. Decoctio, eiuſque uſus legantur *Conſil.* XXV. *ſection.* IV. *p.* 419. & *Conſil.* I. *ſect.* V. *p.* 437. Mallem tamen, ut in parando apozemate, vini loco, vel hydromel, vel cereviſia ſumeretur, ita namque tutior evaderet medicina. Empiricus quidam, Rhumelius dictus, decoctum ſequens magnates quoſdam, & alterius ſortis homines, à podagra ſervaſſe immunes ſcribit:

℞. *herb. gamandrææ* (*Gamanderle.* ipſe habet, quam herbam Teucrium ſpurium eſſe volunt nonnulli) Mij.
Margar. præpar. ℨij.

rhabarb. opt. ℥ ij.
vini rub. ℔ iiij.

Coquantur in olla benè oblutata. Operculum fermento affirmetur ollæ) horam ferè integram, poſt refrigerata & per linteum traiecta in loco frigido aſſerventur uſui. De hoc apozemate verno tempore, menſe Maio, tribus ante prandium horis, & quidem ſingulis diebus, optimum hauſtum ſumat podager; Autumno, toto menſe Septembri, iterum tantundem capiat, poſt meridiem aliquot guttas auri potabilis ſuperingerendo. Ingratus decocti ſapor, vel ſacchari candi, vel ſyrupi violar. additamento corrigitur. Mallem tamen colaturæ demum perlas præparatas addere, quàm cum ſpeciebus eaſdem decoquere. *Potabile aurum*, cuius uſum ſuadet Rhumelius, ſubſcripto conficitur modo: ℞. Mercurii vivi

benè depurat. p. vj.limat. auri per antimonium fusi p. j.F. amalgama, ponaturq; in vas sublimatoriũ, sublimationem aliquoties instituendo, donec aurum, à Mercurio exustum quasi, in alcool abeat. Pulveri huic impalpabili in phiolâ affundatur acetum destillatum, ad trium digitorum eminentiam, phiola Hermeticè sigillata igni decenti admoveatur, quo facto, vegetabilis ille struthio rubicundissimo tingetur colore. Menstruo colorato depleto, ac reservato, aliud acetum affunde, simili colore tingendum, idque toties repete, quoties fuerit necessum. Coniuncta iam menstrua in B. destillentur, remanente in vasis fundo auri essentiâ. Hæc essentia edulcorata igne urgenda est, ut per retortam exspuat laticem quendam potabilem, qui humidum radicale ipsius auri exhibere

bere putatur. Huius liquoris partibus decem, adiice auri optimè calcinati, ſeu in volatilem calcem redacti, partem unam, & in phiolâ benè obturatâ mixturam illam leni igne digere, poſt per chartam emporeticam traiectam aſſerva, habiturus aurum potabile, in expurgando & inſtaurando corpore humano, à quibuſdam decantatum. Marrubium aquaticum etiam conſerre aiunt, refertque Solenander *p.* 440. in Italiâ ſe in quodam vetuſtiſſimo manuſcripto legiſſe, quod ſuccus marrubii, menſe Martio, Luna decreſcente collecti, & vino albo irrorati, expreſſus, ac triduo bibitus, hominem integrum annum immunem reddat à podagra. Chamæpithys quoque, ariſtolochia utraque, radic. aronis, gentianæ, artemiſiæ, aſtacorum lapides, oſſa pedum humana cal-

cinata, & id genus ab Autoribus extolluntur. Superstitiosum extat remedium apud Trallian. *lib.* XI, *p.* 199. de hyoscyamo seu alterco, quod ibidem videatur.

SUBSEC. III.

Vt articuli roborentur.

PEdes infirmi tempore, quo vindemiant, immergantur vinaceis, à torculari adhuc calentibus, vel musto calido calefactis, & quidem manè per quindecim dies, quo fotu oppidò pedes roborantur, iisque calor quasi postliminiò redit. Hoc remedium Crato cuidam communicavit, & insigni ἀντιδώρῳ ab eodem donatus est, eò quod ab istius usu planè convaluerit. Emplastrum diachalciteos seu diapalmæ apprimè etiam commendatur, quod non solùm podagris,

gris, ubi dolores intensi non sunt, quovis tempore conducit, verùm etiam extra paroxysmum adversus rheumatum vitia optimum medicamentum est, ac spe maiora frequenter præstat, ut habet Galenus *lib.* I. *de composit. medicament. s. genera cap.* IV. Solenander itidem dicto emplastro mirè favet, scribitque se novisse quosdam, qui frequenter podagræ paroxysmis tentati, postmodum usu continuo emplastri, & purgationibus per intervalla assumptis, quinquennium integrum ab istis doloribus fuêre liberati. Vide *Consil.* XIX. *section.* I. *pag.* 78. *Consil.* XXIV. *section.* IV. *p.* 406. *Consil.* XXV. *section.* IV. *p.* 414. 424. 427. *Consil.* I. *section.* V. *p.* 440. Usus emplastri hic est: Sutor, adhibito ægri calopodio, consuat ex vulpina aluta, eaque tenui, calceos hos emplastro obductos,

ductos, ac pedibus aptatos, continuò gestet podager, vel cubitum se conferens exuat, rursumque manè induat. Thermæ Wisbadenses, olim Marciatæ dictæ, ad pedum articulos roborandos etiam utiles esse censentur, constantque non solùm sulphure, alumine, & modico salis petræ, ut vult Solenander *pag.* 415. sed etiam vitriolo ac tartaro. Vitriolum namque subviride parietibus balnei manifestè adhærere conspicitur, ipsis vero canalibus, per quos tranat aqua, tartarum quoddam rubrum accrescit, equisonibus nimioperè expetitum. Circa thermas hasce παραφυηδικῶς quæritur, quî fiat, quod ovis in aquam (naturaliter ita fervidam, ut gallinæ immersæ deplumari possint) coniectis, vitellus prius induretur, tardiùs verò albumen, ut aliquoties Wisbadæ experimento deprehendi? Pedi-

Pediluvium quoque ex acidulis Schwalbacensibus haustis ex fontibus, quos *Prodelbrunnen* appellitant, multum conferre arbitror, cum & illæ mineralia secum vehant, quibus articuli imbelles animari, ac reliquiæ materiæ morbificæ discuti possunt. Tanta autem vi penetrante ac discutiente pollent aquæ illæ calefactæ, ut mihi grave fuerit, quadrantem horæ in iisdem commorari, quemadmodum novit Robertus Stuard, militum Tribunus, quocum acidulas illas olim visitarem. Paracelsus *tom.* VII. *de balneis naturalibus tract.* V. *p.* 181. thermas Piperinas extollit, & ex iisdem balneum conficit, sequentibus temperatum:

℞. *Vitrioli* ℔ j.
Salis gemm. ℔ ß.
dictar. thermar. q. s. M.

Bal-

Balneo hoc integrum novendium utatur æger, quo elapſo, ſubſcriptis balnei virtus exaltetur:

℞. *Fol. hellebor. nigr.*
ſenæ an. ℔ j.
fabar.
lentium an. ℔ iiij.

in ſuperiori balneo decoquantur, decocto verò aliquoties inſideat podager, ſingulis ſeptimanis convenienti cathartico aſſumpto. Eodem balneo etiam tempore curationis uti poterit æger, dolore ceſſante, pedibus verò ex infarctu materiæ tumeſcentibus. Nec tantum Piperinæ id præſtant, ſed & aliæ ſunt, quæ eandem conferre poſſunt opem, quas inter celebrantur Thermæ Carolinæ in Boiohęmia, à Carolo IV. nomen ſortitę, aluminatę ac ſulphureę naturę: Badenſes in Auſtria, milliaria quatuor Viennâ diſtantes, multum ſulphu-

ſulphuris, minus nitri, ac aluminis modicum habentes. Embſenſes ad Lanum fluvium, chalcanto, ſulphure, alumine, ac pauculo nitro conſtantes: Badenſes ad oppidum Baden, inter Rhenum & Hercyniam ſylvam, ſale copioſo, alumine, ac ſulphure modico inſtructæ: Aquiſgranenſes in tribus locis exiſtentes, quas inter balneum primum, D. Cornelii appellationem habens, bituminoſum eſt: alterum Imperatoris balneum dictum, ſulphuratæ naturæ arguitur: ac tertium in pago Borget, dimidium milliare Aquiſgrano diſtans, ſale atque alumine abundat: Landecenſes in comitatu Glacenſi, inter Boiohæmiam & Sileſiam, cupreæ participes mineræ: *Hirſchfeldenſes* in Sileſiâ, elegantiſſimas itidem variorum mineralium virtutes ſecum vehentes, quarum ope

cer-

cervus claudicans olim restitutus, iis nomen indidisse creditur. In Hungariâ, haut procul Varadino, thermæ D. Ladislai, ut & in Transylvaniâ, milliarium ferè trium itinere ab Albâ Iuliâ, aliæ habentur thermæ, quarum usum maximè in declinatione morbi, podagrosis esse convenientem, mihi narrarunt ibidem incolæ. Possunt etiam luta naturalia ex eiusmodi balneis pedibus applicari, præsertim quæ præter exsiccandi vim, leniter emolliunt ac discutiunt, quale ob bituminosam suam virtutem creditur esse lutum balnei D. Bartholomæi in agro Patavino, quod hoc nomine podagricis à quibusdam commendatur. Foveæ quoque Aponenses agri Patavini impensè exsiccant, in quas nonnulli partes affectas immittunt, vaporesque adscendentes excipiunt. Nobis verò,

rò, acidulis & thermis (quas Hana primitùs, notante Hieronymo, invenisse dicitur, *Genes.* XXXVI. 24.) destitutis, consimiles pedum lotiones parare integrum est, ex sulphure, vitriolo, alumine & sale petræ, quibus plantæ convenientes, & ramenta ligni iuniperini addi possunt. De alumine dubitant aliqui, utrum illud admiscendum sit aliis medicamentis, ad discutiendam humoris podagrici mineram, pedesque roborandos. *Guilhelmus* Fabricius *obs. Chir. Cent.* V. *obs.* LXXXIII. *p.* 265. illud improbat, censetq; dolorem arthriticũ aluminis usu exacerbari, cũ materia morbifica, ad insensibilẽ transpirationẽ præparata, ab eodẽ ad loca nervosa iterũ propellatur, partibus exterioribus cõstrictis nonnihil. Quod autem alumen podagricis adversissimũ sit, proprio suo exemplo probare

desu-

desudat. Scribit namque se tam in seipso, quàm in aliis semper cum successu usum esse sacculo, betonica, iva, arthetica, primula veris, absinthio, rosis, & granis iuniperinis oppleto, in aquâ cocto, ac sæpiùs imposito: quibus herbis ubi semel addidisset alumen, mox secutum esse dolorem, primò gravativum, posteà acutum, eumque ita auctum fuisse, ut sacculo abiecto, anodyna iterum applicare habuerit necessum. Verùm enimverò alumen tempore adhibitum, arthriticis neutiquam adversissimum esse reor, nam etiamsi Fabricio, ab admoto sacculo, cui nonnihil aluminis admiscebatur, dolores evigilarint, non tamen arbitror, id alumini acceptum esse referendum, sed potiùs herbis ipsis calidis, quæ toties adhibitæ humores tandem, in corpore adhuc residuos,

duos, ad imbecilles pedum articulos attraxerint, id quod ex dolore gravativo (qui novum materiæ affluxum indicare videtur) in principio oborto, coniecturare licet. Corpore itaque perfectè depurato, in declinatione morbi, ut & ratione præcautionis, haud mali quidpiam metuendum est ab usu aluminis crudi, cum laxiores pedum articulos adstringendo & exsiccando confortet, & insimul, quod reliquum est noxii, discutiat. Quod autem Fabricius existimet, alumen per accidens saltem, poros constringendo, & calorem concentrando, calefacere, in eo virum tantum graviter hallucinatum esse mihi persuadeo. Quippe alumen, maximè ustum, ulceribus inspersum, non tantum humiditatem eorum absorbet & exsiccat, sed & putridam carnem erodente
sua

suâ virtute consumit, & aufert. Imò in ipso alumine igneus latitat spiritus, qui stillatione in ventriosum recipiens propulsus, cum acido vitrioli latice meritò certare possit. Hinc novi quendam, qui in defectu spiritus vitrioli, aluminis spiritu utebatur, eundemque loco vitrioli spiritûs imperitæ divendebat plebi. Præterea alumen, artis cultro dissectum, medicinam arthriticam tàm insignem exhibet, ut iure dixeris, in ischiade eâdem haut generosius dari medicamentum, quod & dolorem mulcere, & materiam morbificam discutere æquè possit. De hoc Arcano aluminis dulcis, legatur Wurzius *tract.* III. *Chirurgiæ*, *cap.* XXIII. *p.* 594. & Hartmann. *in practic. Chymiatr. p.* 235. ubi aluminis ante ambulonem præparationem, quam alter reticuit, ingenuè communi-

catur. Andernacus *in dialogo secundo de balneis, seu aquis medicatis*, hoc ποδόνιπτρον multis insigniter profuisse traditur. Lixivio ex cineribus fagi parato, ac diligenter colato, admisce tantundem vini, & aluminis ℥ij, calefiant in fictili vitreato citra ebullitionem. Post manè & vesperi ante cibum, pedes tàm altè immerge, ut aqua saltim supra talos exstetur. Solenander dilaudatur muriam fungi istius rubentis, quem radicibus quercus adnasci, ac ὑποδρυῶν appellari novimus. Conficitur autem muriam, fungum, in schidiâ dissectum, cum sale vulgari stratificando, ac in hypogæo liquorem colligendo, quem partibus roborandis postea affricatur. Legatur *Consil.* XXIV. *section.* IV. *p.* 400. & *Consil.* XXV. *p.* 415. 424. 427. Muriæ loco etiam hoc linimento fuit usus:

℞. *Ol.*

℞. *Ol. omphacin.* ℥ ij.
maſtichin. ℥ j.
ſalis torrefact. ʒ ij.
bol. Armen. ʒ iij.
ſang. dracon.
hypociſtid.
thur.
Maſtich. an. ʒ ij. ß.

exactè levigata miſceantur. *Conſil.* XXIV. *ſection.* IV. *p.* 406. Paracelſus *tom.* VII. *lib.* I. *de rebus naturalib. cap.* IV. *p.* 87. itidem podagricis commendat muriam (*die Sultz*, quæ tantâ ſalis copiâ inſtructa eſſe debet, ut ovum iniectum ſupernatet) ad robur pedibus conciliandum, eorumque ὑγρασίαν οἰδηματώδη abſumendam; ſuadetque præterea obeſis, & inſigniter humidis, corporis extenuandi causâ, ut balneo, ex muriâ confecto, toti inſideant, & ita ſæpiculè balneare aſſueſcant. Verùm enimverò, quamvis balnei

huius uſu habitus corporis firmetur (ob quam cauſam veteribus ex utero materno recens excluſos infantulos confeſtim aquâ ſalsâ abluere mos erat) humiditas peccans exſiccetur, αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι corrigantur, atque ita tumida & periculoſa corporis moles pedetentim deſideat, non tamen in uſum trahenda eſt eiuſmodi balneatio, antequam corpus optimè ſit depuratum, & ab humoribus vitioſis liberum. Deinde muria illa *ſale ita* temperetur, ne corpus incingente ſuâ tunicâ exuat, idque deglubat, veluti lixiviũ ex cineribus, *pottaſch* dictis, factitare conſuevit. Sic novi civem quendam, morphæâ ſeu puſtulosâ laborantem facie, qui comptoriæ ſtudens arti, ac conſilio imperitè medicantis vetulæ uſus, lixivium forte naſo geniſque emaculandis adpoſuit, ſibique integram fa-

faciem excoriavit, & eam multis modis fœdiorem reddidit. Veteres probarunt frictiones, sale ac olivo invicem commixtis, institutas. Omnibus enim secundùm Aëtium *sermon.* IV. *lib.* III. *cap.* XXI. qui hoc modo fricantur, insitus calor augetur, quod præter naturam est, discutitur, excrementa consumuntur, & affecta membra roborantur, ut dolori amplius non sint obnoxia. Quod verò oleum istud salitum egregiâ discutiendi virtute polleat, etiam ex Græcorum consuetudine colligere fas est, qui vino madentes, & planè deliros, oleo caput perungebant, sale admixto, ceu singulare id foret adversus crapulam remedium. Tempore autem eiusmodi frictiones adhibendæ sunt, dolore scilicet intermittente, in declinatione morbi, aliàs enim usurpatæ, vi suâ ex-

ſiccatoriâ, & emplaſticâ, cutem exſiccant, eiuſque poros quodammodò occludunt, ut evaporanti materiæ exitus peniſſimè omnis præcludatur, & dolori urgenti calcar aliquod addatur. Ubi itaque cruciamenta evanida ſunt, & nihil reliquum, niſi ut imbecilla partium laxitas confirmetur, utile erit, ex mente Aëtii, quolibet die, manè & veſperi, idque durante vitâ, robore exutas partes oleo *ſalito* perfricare. Frictiones autem inunctionibus præmittantur, quò virtus olei ſaliti intrò deferatur, aliàs nulli aut planè exiguo erit adiumento utentibus, cum oleum viſciditate ſuâ obſtruat, ſal verò ſiccando adſtringat. Paratur autem oleum ſalitum in hunc modum: ℞. *Salis benè toſti* cochl. ij. contuſis in mortario affund. *ol. commun.* ℥ v. miſcean-

ſceantur & ſerventur ad illinitionem.

ARTIC. II.

Curatio.

SUBSECT. Prima.

Indicationes, & evacuantia.

Præſervatione abſolutâ, reſtat Curatio, quæ iam tradenda. Podagra itaque cum ex defluxu utplurimum ſua natalitia habeat, allaborandum quò materia, quæ eſt in fluxu & tendentiâ ad partem affectam, revellatur, evacuetur, & dolori, ut urgenti ſymptomati, quod rationem cauſæ induit, obviam eatur. Febris, ſi qua adeſt, refrigerantia, tumor diſcutientia, pars affecta confortantia indicat. Tophi autem reſolventia, & evacuantia expoſtulant, partis verò ſo-

luta unitas, quæ rursus ad σύμφυσιν ducenda, glutinantia & consolidantia requirit.

Principiò igitur, dolore ingruente, si sanguis in corpore unà cum sero effervescat, & influxum largiorem minetur, præmisso, si lubet, ad destercorandam alvi latrinam, clystere, vel suppositorio, vena brachii incidatur, ut sanguis revellatur, aliquota eius pars evacuetur, atque ita humorum ebullitio, & effervescentia compescatur. Et maximè venæ sectione opus est, ubi malum hoc cum insultu febrili hominem invadit, & quidem plethoricum, tum namque sanguine misso synocha febris, quâ stipari solet podagra, plerumque in primâ suffocatur herbâ, vel etiam mitior redditur, materia verò, ad pedum articulos iter meditans, imminuitur, & à parte affectâ avertitur.

Ubi verò nec calor febrilis, nec humorum ebullitio, nec plethora adest, rectiùs venæ sectione omissâ cathartica in usum trahimus. Et quanquam Mercatus *tom.* III. *lib.* IV. *cap. ultim. p.* 441. in vitiosorum humorum redundantia, malo adhuc in principio & augmento existente, purgandum esse penitùs neget, scribatque, se fidissimo experimento observasse, tutissimum & maximè rationi consonum esse, tardiùs uti purgante pharmaco, tamen hæc sententia admitti non potest. Nam quod dicit, multos eorum, qui medicamentum sumpserunt, gravioribus doloribus impetitos, & affectionem, quæ quadragesimo die finienda erat, longè diutiùs fuisse protractam, id non simpliciter purgantibus attribuendum, sed potiùs sinistræ eorum administrationi, quod scilicet in iustâ dosi

non fuerint exhibita. Platerus *tom.* II. *prax. lib.* III. *cap.* XVI. *col.* 595. mitiora quidem indulget, à valentioribus tamen in dolorum accessionibus abstinendum, & demum in morbi declinatione ad validiora progrediendum esse statuit. Verùm enimverò causam non video, cur in principio paroxysmi, vel etiam imminente eo, paulò fortiora (μοχλικὰ ϗ δραστικὰ illa detestor, quæ naturæ vires dissolvunt, & ad incitas redigunt) non sint exhibenda. Nam quod prætendunt, adhibitis fortioribus humores concitari, & ita ansam dari, ut ἀθρόως deorsum ferantur ad partem affectam, id nihil est, & veriùs de mitioribus asseritur, utpote quæ plus commovent, quàm vacuant. Prę-terea ubi eiusmodi propinantur medicamenta, plerumque podager κλινήρης, & in lectulo decumbens, pedes

pedes altiori exponit loco, vel etiam Medicus fascias seu ταινίας defensivas supra genua applicat, & ita præcavet, ne materia deorsum ruat, & dolorem intendat. Fasciæ autem, seu lintea triplicata, decocto alicui immerguntur, & circumcirca calidè applicantur:

℞. *aceti optim.* ℔ ij.
acaciæ.
nuc. cupress.
granor. myrt. an. q. s. contusa ebulliant: Colaturæ adde.
aluminis
vitriol.
salis an. M j. iterum coquantur.

His accedit, quod plurimi à paulò fortioribus exhibitis ociùs convaluerint, traditque Petrus Bayrus, se à quatuor hominibus ad lasanū deportatum; ubi alvum, *Electuario Caryocostino* assumpto, quater exoneras-

neraſſet, à doloribus fuiſſe liberatum, & poſtea ſine adminiculo ambulare potuiſſe. Conveniunt autem hîc inter ſimplicia, potiſſimùm *Hermodactyli*, quibus Iben-Sina *lib.* III. *Fen.* XXII. *tractat.* II. *cap.* IIX. *p.* 403. plurimum iuvamenti ineſſe ſcribit, non ſolùm quod humores evocent, verùm etiam quod evacuando ſtypticitatem poſt ſe relinquant, & confortent. Quia verò Stomacho nocivos eſſe ait Hermodactylos, *iubet* ut cinamomum, cyminum, vel conſimile quid adiiciatur. Eligendi autem ſunt bulbi veri, albidi, non rugoſi, & qui candidum exhibent pulverem, in mortario piſtilli circumactu comminuti, cavendo colchicum ſtrangulatorium, cuius bulbi rugoſi ſunt, foris intuſque nigricant, vel obſcurè rubeſcunt, ut habet Platerus *l. c. col.* 599. Provenit

venit autem Hermodactylus verus copiosè in locis montanis propè Bononiam, eiusque tres enarrat species Dominicus Leonus Lunensis de Zuccano, *in method. curand. tumor. cap.* XLVI. *p.* 251. quarum prima μονόφυλλος folium habet maculis purpureis, quandoque albidis: altera δίφυλλος, flores interdum purpureos, interdum rubescentes producens, ac folia, subnigris maculis commaculata gerens: tertia τρίφυλλος, quę flore rubescente nascitur. Harum specierum radices, corrigentibus suis additæ, tutò exhibentur, etiamsi Budæus (quem podagra, teste Cardano *in encon. podagr. p.* 668. ita concussit, ut nihil integrum ei reliquerit) venenati quid etiam Hermodactylo vero affricare studeat, *in curation. articulor. morbor. p.* 18. Radix quoque mechoac. alb. gialapa, turbith gum-

gummos. & elect. agaricus trochiscatus, folia senæ, rhabarbar. aloë rosata, & id genus, pro diversitate humoris sero admixti, locum habere possunt. Paracelsus *tom.* VII. *de hellebor. nigr. p.* 42. 43. 45. radices hellebori nigri dilaudat, ceu medicamentum, diram illam morborum quadrigam, epilepsiam, podagram, apoplexiam, & hydropem, exstirpans, iubetque, ut tribus diebus continuis, ante paroxysmum ingruentem, in usum trahatur radix, & quidem in lacte cocta, si iunioribus sit exhibenda, in vino verò, senioribus propinanda. Vult autem, ut radicum drachmæ duæ decoquantur, tribus vicibus ex apozemate illo haustu assumpto. Nos extracto potiùs delectamur, dextrè & parato & exhibito, τεἰήμερον πρόσοιμα non ita strictè urgentes cum Paracelso. Hepar ubi calidius

lidius eſt, Syrupus roſar. ſolutiv. de cichor. cum rhabarbaro, tryphera Perſica, electuar. roſatum Meſ. & alia præſcribantur. Solenander *Conſil.* xx. *ſection.* 1. *p.* 84. & alibi, vehementer Syrupum de ſpinâ cervinâ commendat, qui unâ cum ſeroſo humore, ex parte etiam bilioſum educit, minus verò pituitoſum & craſſum. Dicitur frequens olim fuiſſe in Principum aulis, Domeſticus ſyrupus appellatus, eoque uſi ſunt multi, tum in podagrâ, tum in aliis averruncandis morbis. Exhibitus quoque fuit, prævifionis ratione, vel ſingulis hebdomadis ſemel, vel certè ſingulis quatuordecim diebus. Compoſita illa medicamenta purgantia, quorum in προφυλακῆ ſuperiùs facta eſt mentio, in uſum quoque trahenda, niſi quod in mineralibus exhibendis aliquantò cautiores eſſe debeamus,

&

& illa nunquam ſenibus (περίπτωσιν namque τῆς ἀρχῆς inducunt quandoque) vel languentibus ægris, aut exſuccis propinemus, præſertim ex Mercurio confecta. Nec poſſum hîc probare Paracelſi audax Conſilium, qui *tom.* VI. *lib.* II. *in fragmentis de vitâ longâ, cap.* I. *p.* 106. ſuadet, ut æger *Arcano Corallino* ſexies vel ſepties purgetur, cum impoſſibile ſit Medico, ſtirpitùs eradicare malum podagricum, abſque uſu nominati medicaminis. Verùm toties repetitâ evacuatione, & quidem Mercuriali cathartico, tantum abeſt, ut æger reſtituatur, ut non potiùs cum humore peccante anima ipſa egeratur. Deinde neque *præcipitatus aureus*, quem Iohan Poppius *lib.* III. *Theſaur. Chymic. p.* 653. proponit, toties exhiberi poteſt, cum & iſte omnem ſuam deiiciendi vim à Mercurio mutue-

mutuetur adiecto. Præter illa superiùs adducta porrigere quoque possumus, species diaturb. cum rhabarbar. pulverem passavant, pilulas de hermodactyl. de agaric. arthritic. de sarcocoll. &c. Principis cuiusdam Archiater in maximâ dolorificâ arthritide has pilulas præscribere solitus erat:

℞. *Mass. pilul. de hier. c. agaric. cochiar.* an. ℈ j.
diagryd.
troch. alband. an. ℈ ß.
rhabarbar. el.
pulv. rad. hellebor. nigr. an. gr. vj.
ol. sulphur. gut. v.
M. F. pilul. N. xij.

quarum tres ieiuno stomacho, vel robusto ægro quinque exhibeantur. Rhumelius pilulas habet antipodagricas, quas lepido partim, partim inepto, & quidem *διαβολικῶς*, insignat titulo. Nominat eas,

Veni

Veni amice, surge & ambula. Arbitratus pilulas suas eius esse ἐνεργείας, ut deglutitæ confestim ægrum surgere & ambulare nescientem, ὀξυκίνητον καὶ εὐπειθέστατον pronuncient, eumque ad quemlibet motum voluntarium obeundum maximè idoneum reddant. Describit eas ita:

℞. *mass. pilul. aloëphang.* ℥ ij.
laudan. opiat. ℥ ß. M.

Fiant pilulæ mediocres, in quatuor partes æquales divisæ. Ex his pilulis, in vino rubello, quartam exhiberi partem Rhumelius iubet, tribus ante pastum horis, promittitque, omnes in universum venulas totius corporis medicinâ illâ occupari, massamque sanguineam ita depurari, ut æger brevissimè liberetur. Ast si Rhumelius laudano opiato communi, sive aceto, aut limonum acido latice, sive

ſpiritu vini extracto, in parandis ſuis pilulis fuerit uſus, crediderim ægrum doſi unâ pilularum ingeſtâ, breviſſimè à malo liberatum fuiſſe, hoc eſt, mortalitatem expleviſſe, atque ita iure pilulis illis attributum titulum, *Veni amice*, *ſurge & ambula*. Etenim ex præſcripto Rhumelii, doſin unam pilularum ingrediuntur ferè octo laudani opiati grana, cum aliàs duo, tria, aut ad ſummum quatuor ſuffecerint, & hæc ſæpenumerò minus dextrè, & tempore exhibita, æternum languidis induxerint ſomnum. Caveant ergò imperiti, ne titulo pilularum ſplendido, & præconiis Rhumelianis circumventi, catapotia illa in uſum trahant, cum ægri internecino malo. Quod ſi verò aliud laudanum opiatum adhibuerit in confectione pilularum, cuius ſcilicet ſeptem vel octo unâ vice

vice exhiberi poterunt grana, turpiter & fraudulenter eius διαγραφὴν, & parandi modum, subticet Rhumelius, cum paulò ante promisisset, se purè & sine ullâ obscuritate, ex vero in proximum amore, duo medicamenta (inter quæ & hæ pilulæ) communicaturum, quibus & Magnatibus multis, multisque plebeis, podagrâ afflictis, obviam fuit itum. Paracelsus *tom.* IV. *tract.* II. *de morbis ex tartaro, cap.* II. *p.* 16. curam podagræ in apertam & integram dividens, pulverem subscriptum vehementer commendat in Curatione (ut loquitur) integrâ, eò quod humores tartareos evacuet, resolvat, & specificâ virtute excludat:

℞. *Oss. hominis.*
scammon.
hermodactyl.
turbith.

senæ.

ſenæ.
ſacch. Tabarzet, an. q. s.
in pulverem redactorum manè & veſperi drachmam dimidiam ingeri, extrinſecus verò partibus, dolore multatis, *oleum ex mumiâ patibuli deſtillatum,* cottidie bis affricari iubet. Vocat autem *curam integram,* quæ ſine externâ læſione, & aperturâ ipſius corporis inſtituitur, & medicamentis tam externis quàm internis, tartareum ſalem reſolventibus, peragitur. *Aperta* ipſi eſt, ubi cauſtico medicamine pars tartaro obſeſſa aduritur, & ita remotâ eſcharâ tartareus humor evacuatur. Quâ de curâ paulò poſt acturi ſumus propediem.
Priuſquam autem Cathartica propinantur, vias intercipere expedit, per quas humor illabi ſolet, ne ſcilicet humores cacochymi, medicamento purgante concitati,
ad

ad pedum iuncturas ruant, ibique dolorem exasperent. In quem finem utile est (quemadmodum etiam paulò ante innuimus) fasciis oblongis palmam latis, ac poscâ chalybeatâ madidis genua incingere, seu involvere, ut hâc ratione viis nonnihil interceptis humori deorsum tendenti sufflamen ponatur. Incoquantur autem poscæ adstringentia quædam, ut eò rectiùs istud humorum iter disturbetur, v. g. radices bistortæ, tormentill. balaustior. flor. rosarum rubrar. gall. cortic. granator. quibus & acacia, & aluminis pauxillum addi poterit. Appositæ fasciæ tam diu retinendæ sunt, usque dum peracta fuerit purgatio.

Ventriculus ubi humorum illuvie scatet, & æger facilis est in evomendis noxiis, conducibile arbitror, ut emetica ingerantur, ita

nam-

namque præcavetur, ne humores in ſtomacho hoſpitantes ad pedum articulos excurrant, reliqui verò, qui in tendentiâ ſunt ad partem affectam, revellantur, & eorum magna pars evocetur. Mercatus *l. c. p.* 442. nullo alio auxilio commodiùs, & fluentium reliquias revelli, & fluxuros evacuari ſtatuit, quàm per vomitum, conſulitque, ut quarto quovis die æger evomat. Verùm, ut ante dictum, toties iteratæ vomitiones podagro haut conducunt, nam etiamſi humores commodè revelli, & à parte laborante aliò duci videantur, ventriculo tamen oppidò nocent, & robur illius exuunt. Conſultius itaque eſt, ut ſemel vel bis ſaltem vomitus inſtituatur, & quidem in principio, nec exſpectanda hîc αὐτομάτως facta humorum ἀναῤῥοπία, ut quidem cenſuit, cum in podagra

rarò fiat ἀνάῤῥοπ@ humor. In ciendo autem vomitu propinari possunt radices asari pulverisat. vel coagulum asari, syrupus benedictus, extractum hellebori, & alia. Quandoque aqua benedicta Rulandi in robustioribus usurpari potest hoc modo parata:

℞. *fol. sen. s. stipit.*
Zingib. an. ℥ j.
Vini Rhenani ℔ iiij.
Stent in infusione per noctē posteà leniter exprimantur: Expresso liquori adde *Croc. metallor.* ℥ j.

ac triduanâ digestione exactâ, per vesicam laticem emulge, ab unciâ dimidiâ, ad unciam unam cum dimidiâ exhibendum. Raicus ʒ ß. croci metallorum haustulo vini infundit, & integram colaturam tepidè exhiberi suadet. Verum enimverò cum inter ϛιμμίσματα καθαρτι-

κὰ

κα crocus metallorum fortissimum sit medicamentum, in robustioribus evacuandis ultra decem vel duodecim grana vix infunderem.

SUBSEC. II.

Dolorem sopientia.

PRæmissis universalibus ad ea iam progrediamur, quæ egregium istud symptoma, quod podagro maximè molestum est, dolorem scilicet, sopiunt. Et quidem sæpenumero in principio, & morbi primo insultu, etiam non præmissis universalibus ad ea, quæ dolorem compescunt, vel ad minimum mitigant, nos conferre cogimur, cum quandoque adeò ferociat, torquendo & lancinando miseros ægros, ut nil nisi dolorem crepent, eiusque anodynon, vel etiam molestiæ dolorificæ impatientes in pro-

prium sæviant corpus, uti Palæmoni Sophistæ contigit, doloris impatientiâ mortem sibi inferenti, & Podagro cuidam Giessensi, qui maximum pedis articulum eâdem de causâ sibi deartuabat, seu potiùs amputabat. Insuper vires quoque insigniter dissolvit, teste Galeno *lib.* I *.de arte Curativ.ad Glaucon. cap.* XIV. & ubi diutiùs perstat, animi deliquia, inflammationes, & alia mala inducit. Quapropter dolore nimium urgente, ac ægrum divexante, omnes nostræ actiones eò colliment, quò is sedetur. Dolorem autem sedantia generaliter accepta, in triplici sunt differentiâ: alia namque doloris causam, alia dolorem ipsum, alia denique partem, dolore infestatam, respiciunt. Illa quæ causam doloris spectant, multifariam eundem tollunt, vel salsuginosum hu-

morum

morum lixivium ſubducendo & evacuando, vel ſpiritûs ſalinos, continuum dividentes, coagulando, aut coagulatos reſolvendo & diſſipando, vel etiam ſolutionem continui conſolidando. Quippe cum podagra à ſalibus tartareis, acribus & corroſivis ſit genita, neceſſum quoque eſt, ut ſalibus lenitivis & conſolidativis curetur, ut habet Quercetanus *in Conſil. de arthritid. p.* 290. Dolorem ipſum quæ reſpiciunt, ita comparata ſint, quo iucundam ſenſationem pariant, doloris enim eſſentia cum conſiſtat ἐν τῇ τῆς αἰσθήσεως ἀνίᾳ, conſequens eſt, ut quæ dolorem demulcent, ἡδύσματα quædam porrigant facultati ſentienti, ſeu partium temperamentum tepido & blando calore foveant, ac refocillent. Anodyna namque temperato calore prædita, familiaritate elementorum na-

turæ partium conſentire, blando ſuo calore meatus aperire, λεπτομερίᾳ ſubſtantiæ ſe inſinuare, ac omnia æquabilia reddere debent. Quæ verò partem dolore obſeſſam reſpiciunt, νάρκωσιν eidem imprimunt, ac ſenſum hebetant, ne obiectum dolorificum ampliùs percipiat, id quod efficiunt ſulphure ſuo partim narcotico, partim qualitate manifeſtâ, partium calorem inſitum, ſpirituſque obnubilando & obfuſcando. Nos impræſentiarum nullo ſervato ordine promiſcuè de his agemus.

Podagra itaque σφυροπρηπτύερα etiamſi alto ſupercilio apud Lucianum medicamenta deſpiciat, & utentibus his ſe iactitet μᾶλλον ὀργιλωτέραν, tamen in dolore mulcendo plurima ſæpè profuere, quorum potiora à nobis recenſebuntur. Antequam autem ad illa deſcen-

ſcendamus, hoc primùm monendum eſſe duximus, ex Guilhelm. Fabricio *obſervat. Chirurgic. Centur.* V. *obſerv.* LXXXIII. *p.* 265. quod ſudorifera medicamenta, doloribus urgentibus, propinata, eos egregiè demulceant, nam non tantum ſalſuginoſum lixivium, ſenſiles pedum partes lancinans, diſcutiendo imminuunt, adeoque dolorem ipſum actutum ſedant, ſed & humoribus in corpore commotis, iterque ad pedum articulos meditantibus, ſufflamen quaſi iniiciunt, à centro ad circumferentiam eos propellendo. Horum inſignem effectum ſæpiſſimè, & in proprio corpore, & in aliis Fabricius eſt expertus. Sudorifera inter etiam refero Spiritum ligni Saſſafras, & ſalemTabaci ex cineribus extractum, in frigidioribus ægris, vel cum theriacâ, vel cum Iob iuniperino; in

calidioribus, cum ſambuci baccarum inſpiſſato ſucco exhibitum. Utiliter etiam intra corpus aliquot guttulæ *Spiritus ſalis armoniaci veri* propinantur, ad ſudorem movendum, naturam confortandam, tartarum reſolvendum ac expellendum. Huius deſcriptio, ſecretiſſima aliis, ingenuè à me communicabitur: ℞. *Salis armoniac. Corall. rubror.* an. q. v. redacta in pulverem, ac invicem probè miſta, ſublimentur. Sublimatum, materiæ in fundo reſtanti, ac pulveratæ, rurſum addatur, ac μετεωρισμὸς de integro inſtituatur. Hæc operatio toties iteranda eſt, donec nulla fiat ulterior ſublimatio. Poſt aëri libero exponenda erit materia, & nonnihil eius abibit in liquorem. Quod ſolutum eſt, effunde, & reſiduum pone ad ſolvendum. Hoc repete, donec omnia ferè fuerint eli-

eliquata, relictis saltē pauculis coralliorum exuviis. Has solutiones coniunctas lentus ignis evaporet, donec materia penitùs exaruerit. Aridam illam materiam, in fundo remanentem, retortæ benè loricatę includes, ac graduali igne administrato, Spiritum salis armoniaci verum, & intra corpus utibilem, elicies. (Spiritui huic, instar cuticulæ supernatasse vidi oleosum quendam liquorem, qui proculdubio coralliorum fuit) Tincturam ex coralliis si desideras, affundatur novis coralliis spiritus hic, & relinquatur aliquandiu super iisdem, deinde stillatione abstrahatur. Residuum aëri exponatur ad solvendum, quod solutum est, effundatur, & in soluto materia quædam rubicunda temporis tractu subsidebit, quæ veram Coralliorum tincturam exhibere censetur.

Ex Anodynorum ſimpliciorum claſſe laudantur flores chamæmel. ſambuci, melitoti, tapſi barbati, radices altheæ, liliorum alborum, bardanæ, ſemen lini, fænugræci, Crocus, mica panis albi, medulla caſſiæ, farina hordei & avenæ, lac bubulum, herba parietar. (cuius decoctum, teſte Apuleio, mirè ſanat podagram) fol. hyoſcyami, radices mandragor. ſemen papaver. albi, & opium ipſum. Item Spiritus ſalis, aquæ ulmariæ *miſtus*, ac parti dolenti pennâ illitus, phlegma ſpiritus vitrioli antepileptici, liquor cochlearum, liquor florum verbaſci albi, oleum ex oſſibus humanis, oleum ſeminis ebuli, oleum ex gemmis Coryli expreſſum, ac proprio ſale imprægnatum, fel piſcis Cyprini, fel canis &c. Foreſtus *lib.* XXIX. *obſervat.* III. lac capræ ſupra locum affectum emul-

ctum, dolores sedasse tradit, scribitque Amatus Lusitanus *Centur.* VI. *curation.* XLI. hoc remedium Turcarum Principibus in usu fuisse familiari. Quidam etiam maxillas luciorum pulverisatas lacti caprino commiscent. Alii caseum ovillum recentem imponunt, eumque sæpius renovant, antequam pinguescere, ac butyrum fundere incipit, refertque Sennertus, narratum sibi esse à quodam podagrico, quod nihil utilius hoc remedio perceperit in proprio corpore. Hartmannus frusto carnis bubulæ, sine pinguedine parti dolenti applicato, eoque manè & vesperi mutato, feliciter dolorem sustulit. Halex salita, per medium scissa, ac loco dolenti apposita, dolorem mitigat, teste Foresto *lib.* XXIX. *observ.* VII. Lixivium quoque, in quo fili cannabei magna quantitas

 ebul-

ebulliit, mirè dolorem aliquando
compeſcuiſſe, docet Platerus.
Plinius *lib.* XXII. *cap.* XV. memo-
riæ prodidit, Marcum Agrippam,
pedum gravi morbo conflictatum,
demerſis in acetum calidum cru-
ribus, ab eo morbo evaſiſſe. De
ſexto verò Pomponio, citerioris
Hiſpaniæ Principe, ſcribit, eum
dolore podagræ, cum hordeis ſuis
ventilandis præſideret, correptum,
merſiſſe in triticum ſeſe ſuper ge-
nua, levatumque ſiccatis pedibus
mirabili modo. Ita quidam ſub
ferventiſſimâ maris arenâ detentum
pedem leniter perfricuit, & à
podagrâ convaluit, teſte Zacuto
Luſitano, *lib.* I I. *prax. Medic. admi-
rand. obſerv.* CLXXII. *p.* 219. Spi-
gelius *de arthritid. p.* 89. apud *Mo-
ravos Olmutienſes* ſe didiciſſe ſcri-
bit, aquam herbicapræ ſeu ulma-
riæ, ex radicibus floribuſque de-
ſtilla-

ſtillatam, nobile eſſe experimentum, pro ſedandis ilicò doloribus, ſi panni linei eâdem madefacti podagricis imponantur, vel etiam dolentia loca pennâ irrigentur. Ibidem etiam refert, Sutorem quendam Viennæ, multis remediis fruſtra tentatis, tandem omni dolore fuiſſe liberatum Cataplaſmate, ex ſtercore vaccino recenti, in ſartagine cum butyro frixo, ac ſæpius de die renovato. Inſuper Spigelius feliciter ſe uti memorat cataplaſmate, ex vino & panis medullâ facto, quod non modò humores repellit, ſed & eoſdem digerit: imò inſtante paroxyſmo, ſi manibus vel pedibus applicetur, prohibere dicit fluxionem cum chiragricam, tum podagricam, hyeme tepidè, æſtate frigidè appoſitum.

E Compoſitorum cenſu extol-

luntur, Balſamum podagricum I. & II. Crollii, unguentum eius anodynum, ſperniolæ compoſitum, aceto deſtillato diſſolutum, maximè ubi articuli exæſtuant, liquor ſaponis, aqua antipodagrica Rulandi deſcripta ab Hartmanno in practic. chymiatr. p. 187. Circumferuntur & aliæ deſcriptiones Aquæ Rulandinæ, verùm cum ſint ſpuriæ, & mendoſæ, adlubeſcit genuinam, & ἀκίβδηλον, huc adſcribere, præſertim cum ad miraculum aqua illa operata, & probata dicatur. Antequam autem planis & perſpicuis verbis eius διαγραφὴ à nobis tradatur, aliam priùs deſcriptionem, quam Iohan Raicus *in tractat. de podagr. p.* 49. phaleratis verbis involutam eſſe voluit, ne cuiuſvis φιλαργυρίας proſtibulum fieret, adducere lubentia eſt, ut conſtet, illam à noſtrâ non diverſam,

ſed prorſus eandem. Deſcribit eam ita:

℞. *aquæ terimachtim utriuſq;* ℔ j.
albadid ℔ ij.
laudan. Mercurial. ℥ ß.
calcinationis lapidis de alchool ʒ j.

miſce, & factâ ebullitione aſſerva in vaſe vitreo. De virtutibus eius porrò ita diſcurrit. *Experientiâ didici, brevi tempore cruciatus atroces tolli, non repercuſsione, ſed extractione. Nam ſi linteola, hâc aquæ tepidâ imbuta, articulis imponuntur, & ab eorum calore exſiccata auferuntur, quaſi fumus evaporat. Divinas aquæ huius virtutes iterum atque iterum non ſine fructu expertus ſum. Aqua enim terimachtim vi ſuâ bezoarticâ, nempe ſulfure auri reſoluto, articulorum gluten conſervat, & articulos lubricos firmat. Aqua albadid potenti ſuo & penetrante ſale, tartari vehementiam obtundit, dolores mitigat, articulos roborat, & futuras fluxiones*

xiones prohibet. Mercuriale laudanum vi suâ anodynâ & balsamicâ minerali, dolores tollit subitò, & vi suâ regenerandi, quâ pollet, gluten renovat. Lapis verò de alchool igne suo cœlesti, & vi metallicâ penetrat, expurgat, clarificat, articulorum gluten, & instaurat, tartarum incidit, eumque per cutis poros discutit. Hactenus Raicus. Nos ῥήματα ὀφρῦς καὶ λόφους ἔχοντα mittentes, præparationem istius aquæ, verbis claris & apertis, hoc modo subnectimus:

℞. *aquæ terræ sanctæ* ℔ j.
Martis ℔ ij.
liquoris Mercurii ℥ ß.
croc. metallor. ʒ j. M.

ac ebullitione in vitro serventur. Verùm cum ingredientium compositiones, in paranda illa aquâ, difficultatem nobis parere queant, nisi explicatiùs tradantur, necesse est, ut ordine eorum conficiendi

modum

modum hûc adſcribamus. Aqua itaque terræ ſanctæ ſequenti paratur modo:

℞. *bol. oriental. el.* ℥ viij.
terræ ſigillat. ℥ iij.
aquæ leviſtic. ℔ v.

macerentur per dies novem in loco calido, poſtea deſtillentur. Aqua Martis ita componitur:

℞. *aq. perveſic. deſtillat.* ℔ viij.
in quibus infundatur
ſcoriar. ferri præpar. ℔ ß.

ſtent infuſa per ſex dies, ac per alembicum evocentur. Liquoris Mercurii hæc eſt præparatio:

℞. *Mercurii ſublimat.* ℥ iiij.
quibus affunde
aceti fortiſsimi ℥ iij.

& per noctem macera, Crocus metallorum quomodo conficiatur, omnibus notiſſimum eſt. An verò ingredientia id examuſſim præſtent, quod Raicus ipſis prolixè attribuit,

tribuit, de eo meritò dubitamus, cum sæpiculè quid subdoli verbis adsit grandibus. Paracelsus pro indubitato anodyno commendat *Spiritum salis ammoniaci*, qui ita paratur:

℞. Salis armoniaci cum sale communi sublimati q. v. in pulverem redactus misceatur cum quatuor partibus cinerum, & per alembicum in arenâ destilletur Spiritus salis ammoniaci, qui cum S. V. anaticâ portione mistus, *plumaceolo* bis vel ter loco dolenti adhibitus, confestim dolores sopit. Aliqui etiam Camphoræ nonnihil addunt miscellæ, & ita eandem inusum trahunt. Mindererus *cap.* VI. *de chalcanth.* ex colcothare antipodagricum conficit medicamentum, quod ibidem videatur. Eo præstantior est balsamus:

℞. *vitriol. purificat.* ℔ j.

mastichis.

mastichis.
olibani.
myrrh.
ammoniac.
bdellii.
opopanac.
mumiæ. an. ℥ ij.
tartari ℥ j ß.
mellis ℔ ij.
aquæ vitæ ℔ iij.

destillentur per alembicum, & ingruente paroxyſmo, locus pennâ liquore madidâ leniter illinatur. Paracelſus balſamum hunc etiam deſcribit *tom.* x. *lib.* 1. *archidox. Magic. p.* 327. pondere ingredientium nonnihil variato. Alii hoc laudant:

℞. *vitriol. alb.*
virid. an. ℥ j.
camphor. ʒ ij.
aquæ vitæ.
vini albi an. ℥ j. M.

&

& cum intinctis pannis applica. Sequentes etiam antipodagricæ aquæ plurimùm conferunt:

℞. *aq. destill. spermat. ranar.*
tapsi barbat.
filicis an. ℔ j ß.
in quibus macera
tutiæ.
lithargyr. an. ℥ ij.
vitriol. calcinat.
aluminis an. ℥ j.

foveantur partes dolentes tepidè, sæpè novâ immersione renovando linteamina. Vel:

℞. *sapon. Genuens. alb.* ℥ j.
salis fusi ad fortiss. ignem ℥ j ß.
vitriol. ℥ j.
acaciæ ℥ ß.

bulliant omnia in mensurâ seu pintâ aceti destillati, rosati, aut alterius communis: Colaturâ tepidè foveantur partes. Hisce aquis longè excellentior est illa, quam habet

Quer-

Quercetanus *in Consil. de arthritid. p.* 314. Calcem vivam per quinque vel ſex dies immerge in aquam fontanam, ut ſal eius elicias; aqua autem ſuperemineat calci ad quatuor vel quinque digitos. Huius aquæ accipe ℔ iiij, in quibus laminam chalybis ferventis duodecies aut etiam ſæpius extingues. Poſtea in eandem immerge æris uſti in pulverem redacti ℥ iiij, cinabr. ℥ ß. ſtent per quatuor aut quinque dies, & viridem ea aqua acquiret colorem, ex vitriolo interno æris uſti. Ibidem etiam alterius aquæ Antipodagricæ facit mentionem, cuius plenam deſcriptionem ſubticet, tum quod difficilior eius parandi modus, quàm ut à vulgari pharmacopęo confici poſſit: tum quod ſibi tanquam veterano militi aliquid athletici artificii reſervandum eſſe duxerit. Addit tamen, fieri eandem

eandem ex aquâ fontanâ ſimplici, in quâ iteratè & aliquoties extinguuntur quædam metalla, poſt duæ ſubſtantiæ metallicæ adduntur, quas ore etiam ritè præparatas ſumimus. Arbitror autem Quercetanum per ſubſtantias duas metallicas nil aliud intelligere, quam *vitrum antimonii & Mercurium ſublimatum*, in quibus ſales latitant, huius affectûs veri domatores. Sic etiam magno cum adiumento uſurpatur miſtura ex calce vivâ, cum melle incorporata, & pedibus appoſita. Quod à me εὐπόριστον fuit deprehenſum, citra μεγαληγορίαν ſeu iactantiam ingenuè dicam. Memelæ Poruſſorum mulier quædam quinquagenaria ferè (quæ Concionatori Caſtrenſi Iohan Douglas Scoto nupſerat) decumbebat arthritica, huic dolor pollicem ſiniſtri pedis, cæteraſque annexas partes,

tes, manum insuper sinistram, & dextrum genu, adeò insignis occuparat, ut lecto affixa vehementer lamentaretur. Hanc sequenti epithemate, non intermissis evacuantibus, intra septem dies perfectè restitui:

℞. *Colcothar. vitriol.* ℥ ij.
tartaricum nitro calcinat.
aluminis an. ℥ j.
salis vitriol. ex Venere ʒ ij.
betonic.
malvæ an. M j.
flor. Chamæmel. M ß.
semin. lin. ʒ x.
Coq. in aquæ chalybeat. s. q.
℞. *Colatur.* ℥ xv.
in quibus dissolv.
vitri antimon. ʒ j.
Mercur. sublimat. non corrosiv. ʒ ß. M.

ac linteola madida calidè impone. Habeo præterea *liquorem quendam anti-*

antipodagricum, communicatum mihi ab Amico quodam meo singulari, ex quibusdam sale volatili abundantibus, & aliis confectum, quo pars dolens, in omni arthritide adhibitâ pennâ aliquoties illinitur. Liquor iste confestim γοητείας instar dolorem aufert, & partes ipsas affectas mirè roborat. Sennertus Balduino, Theologo Wittebergensi, sequentia præscripsit medicamina:

℞. *aq. sambuc.* ℥ ij.
primul. ver.
chamæmel. an. ℥ ß.
lilior. albor. ℥ iij.
croc. ℈ ij.
nitri ʒ ß. M.

& linteola liquore madefacta applicentur. Item:

℞. *Casei, seu coagul. recent. lactis caprin.* ℥ iij ß.
farin.

farin. hord. ℥ j.
vitell. ovi N. j.
Croc. or. ℈ j.
camphor. ℈ ß.
spir. vini ʒ j.
aquæ rosarum. q. s.

fiat magma, dolenti loco affirmandum. Magni etiam fit radix quędam, aliis Ambrosia, aliis cervaria *Hirschwurtz* vocitata, cuius arefactæ, ac in pulverem contritæ, portio vino potenti albo incoquitur, ac pulticula loco dolenti calidè affirmatur, immanissimos dolores inflammantes, ac mentem penè emoventes, sulphure ac mercurio suo anodyno tollens. Radix illa sale adeò corrosivo abundare creditur, ut ferrum penetret. Paracelsus alicubi in frequenti usu esse, scribit decoctum pulegii, aceto factum, in quo aliquid vitrioli sit dissolutum.

De-

Decocto immergenda sunt lintea, & dolenti parti admovenda. Vide *Scholia Paracelsi in poëmata Macri, tom.* VII. *p.* 152. Verùm quod arbitretur Paracelsus, decoctum illud cum aceto esse parandum, podagrâ ex frigidâ causâ ortum suum trahente; contra, si calida regnet causa, pro aceto alcohol vini esse sumendú, in eo legi ὑπεναντιώσεως dicam scribere Paracelsum, cuivis manifestum est. Laudatur & hoc unguentum antipodagricum:

℞. *Oxymel. simpl.* ℥ v.
spirit. salis ʒ ij ß.
salis prunell. ʒ j.
Croc. or. ℈ ij.

M. F. unguentum molle. Calefacto unguento pars dolens inungatur, & petia eodem madefacta calidè applicetur. Emplastra quoque à nonnullis extolluntur, maximè *Wurtenbergici Ducis, Iaco-*

Iacobi Angliæ Regis, & Caroli V. *Imperatoris.* Emplaſtrum Ducis Wurtenbergiæ hoc eſt:

℞. *galbani.*
opopanac. an. ℥ j.
ammoniac.
bdellii, aceto diſſolut. an. ℥ ij.
ol. Commun. ℔ ij.
cer. nov.
lithargyr. an. ℔ ß.
ariſtoloch.
maſtich.
thur.
myrrh.
lapid. calaminar. an. ℥ ij.
ol. laurin.
terebinth. an. ℥ iiij.
& tandem ultimò adde
argenti vivi ℥ ij. M.
F. Emplaſtrum.

Magnæ Britanniæ Regis Iacobi emplaſtrum, contra podagram, ſequenti modo conficitur:

L ℞. *Ol.*

℞. *Ol. è pedibus bubul. & ovill.*
è florib. sambuc.
lini recenter expreſſ. an. ℔ ß.
lumbricor.
hyperic. compoſ. an. ℥ viij.
minii.
plumbi albi an. ℥ xij.
lithargyr. aurei.
argentei an. ℥ viij.
Coq. ad emplaſt. conſiſtentiam, tum adde
Ceræ flavæ.
colophoniæ an. ℥ iiij.
tacamahac. ℥ iij.
opopanac. ℥ j.

in vino Malvatico ſolvantur, colentur, atque ad ſuam conſiſtentiam reducantur; poſtea emplaſtro addantur; hinc ab igne remotis, cum refrigeſcere incipiunt, adde *camphoræ in ol. hyperic. ſol.* ℥ ß. M.

Caroli v. Imperatoris emplaſtrum tale eſt:

℞. *bac-*

℞. *baccar. iunipen. recent.* ℥ iiij.
sapon. virid. Venet. ℥ ij ß.
rad. allii benè mundat. ℥ iij.
mithridat. ℥ j ß.
Spirit. vini. q. s.

Omnia & singula benè contundantur, ac pulverisentur, & fiat inde massa pro emplastro, quod applicetur loco dolenti. Cautus autem & circumspectus sit Medicus, in applicandis eiusmodi remediis, nec illa adhibeat subiectis calidioribus, & quibus pedes ob sanguinis biliosi affluxum insigniter rubent. Compertum quippe est, calida vehementer sæpenumero obfuisse, annotatque Zacutus Lusitanus *lib.* III. *prax. Medic. admirand. observ.* CLXI. *p.* 477. podagricum quendam calidioris temperamenti, unguento ex sulphure, nitro, euphorbio, cum succo artemisiæ, & oleo de piperibus parato, & imperitè

appoſito, intra paucos dies fuiſſe extinctum. Sequens quoque *Sparadrappus* celebratur, quem à Iudæo trecentis florenis ſibi comparavit Nobilis quidam, eodemque ſexennium podagrâ laborans pleniſſimè convaluit. Accipe corvum vivum, hunc celeriter interfectum (ita interficiatur, ne vel gutta ſanguinis pereat) cum plumis in ollam vitreatam iniice, eamque benè operculo munitam & oblutatam, in fimo equino per XL dies ſtare permitte, & poſtea, exacto illo tempore, Corvum in Cinerem combure. Tandem ceræ puræ, ſuper prunis liquefactæ, adde tantum de pulvere corvi, quantum teſtâ ovi concludi poteſt, & probè invicem miſce. Per hanc miſturam traduc petiam, ſeu linteum aliquod, quod emplaſtri modo, ſuo tempore, dolenti loco applicetur. Notandum autem circa

Spara-

Sparadrappi huius confectionem, quod ſcilicet ſuperflua & non neceſſaria ſit illa in fimo ſepultura, ideoque ſtatim, neglectâ putrefactione, ad ipſam calcinationẽ corvi nos accingere poterimus. Cardanus ad dolorem compeſcendum, etiam ſuffitum probat; quem imitatus Michaël Maierus, ſe remedio illo feliciter uſum eſſe teſtatur, *cap.* IX.*p.* 149.*Civitat.corpor.hum.* Suffimigium autem ita paratur:

℞. *lign. aloës.*
ſuccin.
oliban.
ſandarac. s. gumm. iuniper.
ſem. hyoſcyam.
ſtyrac. calamit.
gum. guaiac.
animæ an. ʒ j.

Contuſa in pulverem craſſiuſculum redigantur. Huius portio ignitis poſtea inſpergitur prunis, & fumus

dimidium horæ, vel amplius excipitur, pedibus ita munitis panno, ne fumus ociùs evanescat. Suffumigatione peractâ, lintea humectata partibus affectis calidè applicentur:

℞. *aceti vini optim.* ℔ ij.
comar. absinth. M ij.
sem. hyoscyam. ℥ j.
cort. mandragor. ℥ ß.
Coq. ac colaturæ adde
fell. bovin. ℥ ij. M.

Pedes etiam sequenti decocto immergi poterunt, linteis interim defensivis supra genua positis, ne ποδάνιπτρον tollendo causam continentem, plus materiæ attrahat:

℞. *rad. alth.*
vitriol. an. ℔ ß.
hyoscyam. M ij.
lixiv. ex cinere fagi parat. ℔ x.

Coquantur, ac calido liquori, per colum traiecto, pedes immittantur. Intra corpus exhiberi quoque po-

teſt, dolore nimium urgente, ac vigiliis ægrum detinentibus, & quidem in conſtitutione frigidiore, theriaca, mithridatium, philonium Romanum, requies Nicol. laudanum opiatum, cuius grana duo vel tria ſufficiunt. Approbo tamen hîc magis iſtud Laudanum, quod ſpiritu vini extrahitur, quàm quod aceto aut limonum ſucco paratur. Etenim etſi concedam, acetum & limonum ſuccum optimum eſſe corrigens iſtius ſulphuris narcotici, legitimum tamen extrahens non eſt, cum acida ſalem potiùs extrahant, ex Chymicorum aſſerto, quàm ſulphur. Taceo, quod ſpiritu vini vix comperta ſit, adverſus Opii maleficium, præſentior antidotus, ex mente Billichii, *obſerv. ac paradox. Chymiatr. lib.* 11. *cap.* 11. *p.* 110. In conſtitutione calidiore, hepate æſtuante, ac viribus imbe-

cillis, alia inter Cratonis potiuncula etiam concinnari poterit:

℞. *aquæ borrag.* ℔ ß.
margar. præparat. ʒ j.
papaver. alb. ʒ j ß.
F. Emulsio, cui
adde
Syrup. de papaver.
de succ. violar. an. ℥ j. M.

Febris Synocha, podagram quandoque comitans, quomodo tractanda sit, ex doctrinâ de Febribus satis abundè constabit.

SUBSEC. III.

Resolventia & discutientia.

SEdato dolore, resolventia & discutientia usurpanda, quò humores impacti per διαφόρησιν evocentur. Circumspectè tamen hîc agendum, ne discussis partibus tenuioribus, & quidem aqueis, ter-

restrior relinquatur, & ita nodosa acceleretur podagra. Duo itaque hîc accuratè tenenda esse censeo: I. ut discutientia familiaritatem aliquam habeant cum tartaro ac seroso humore. II. ut adhibitis topicis diaphoreticis, eiusmodi quoque assumantur medicamenta, quæ iunctâ operâ tartarum expellant.

Discutientium virtus non consistit in solo calore, vel in facultate attenuante, sed potiùs in specificâ δυνάμει, quæ etiam dissolvere potest. Videmus enim, non quidlibet à quolibet resolvi, sed determinatũ à determinato. Ita aqua fortis Lunam solvens, nullo modo Solem destruere potest, nisi salis armoniaci pauxillum addatur. Sulphur oleo dissolvitur: Gummi ammoniacum, galbanum, bdellium aceto: Gummi tragacantha, Arabicum, cerasorum simplici aquâ. Quocir-

ca, quæ ſalinæ ſunt eſſentiæ, commodè hîc uſurpantur, adiectis quoque iis, quæ poros cutis nonnihil laxant, ac corpus εὐδιαφόρητον reddunt. Muria igitur fungi quercini, emplaſtrum diachalciteos, & ex iis quædam, quæ inter dolorem ſedantia relata ſunt, hic locum habere poſſunt. Spigelius *de arthrit. p.95.* hoc Balneum, quo reliquiæ humorum auferuntur, & articuli roborantur, commendat:

℞. *lixiv. medioc.* ſarmentor. vitium, vel oſſium humanor. vel aliorum animalium quadrupedum, in cinerem combuſtorum.
vini rubr. chalybeat. an. q.s.
herb. ivæ.
chamæmel. an. M. ß.
furfur. triticeor. M j.

bulliant in vino parum, deinde cum lixivio miſceantur pro balneo pedum.

pedum. Foveri quoque possunt pedes decocti alicuius ὑπατμισμῷ seu exhalatione, v. g.


℞. *radic. altheæ.*
lilior. albor. an. ℥ ij.
flor. chamæmel.
melilot. an. M ij.
salis. M j ß. Coq. pro Fotu.

Post ceroto involvantur sequenti:

℞. *emplastr. diapalm.* ℥ iij.
diachyl. ireat. ℥ j.
de melilot. vel oxycroc. ℥ ß.

oleo vulpino, vel consimili emollita alutæ affricentur, atque ita pedibus aptentur. Nonnulli etiam decocto aliquo, aut aceto, pyriti, lapidi molari, vel ferri scoriæ candenti insperso, vaporem excitant, ac pedibus suffumigium parant, quod pannis undique obvolutis, ne quid exspiret, tamdiu excipiunt, donec pars affecta sudare incipiat. Qui verò pedes humectare nolunt,

ii ad excitandum sudorem, ex lignis quercinis (quæ adstringendi & roborandi vi pollent) vas sibi exasciari curabunt, cum duplici interstitio, ut nec aqua, nec vapor pro-



ximè

ximè feriat pedes, sed saltem calor, qui tamen secum decocti virtutem, absque sensibili humectatione, ad pedes undique tectas asportabit. Eius σχηματοποιούμενον exemplar tale est:

A B C D. *Vas, intergerino pariete instructum, cuius interior cavitas decocto ebulliente replenda.*

E F G. *Locus, pedibus recipiendis dicatus.*

H. *Infundibulum, decoctum excipiens, & ad intimam cameram ablegans.*

I. *Obturaculum seu epistomium, quo aperto aqua infusa redditur.*

Raicus in declinatione morbi, balneis etiam insidere iubet ad dies sex, cottidiè per horas VII, vel IIX. & quidem hoc modo paratis:

℞. *sacchar. cand.*
sulphur.
antimon.
vitriol. an. ℔ j.

salis

salis commun. ℔ ij.

seorsim antimonium sacculo includatur, ac species reliquæ itidem seorsim alii sacculo insuantur, ac sic ebulliant. Adiici etiam poterunt ex eiusdem arbitratu, *gentianæ, baccar. laur. iuniper.* an. ℔ ij. Ast eiusmodi θερμολουσία, ad horas octo protracta, ægro non tantum molesta est, sed & debilitando eundem, autori balnearum pessimum persolvere videtur ἐπίλυτρον. Eius conditionis quoque erat balneum illud, quo Cardanus *in arte curandi parvâ, p.* 113. podagram fuisse curatam scribit: *Leniter cibatos quidam, ne deficerent, in balneum ducebat, exserto capite. Fotus erat serum exactissimè purgatum, in quo abrotanum, absinthium, chamæmelum, pulegium, rosæ, rosmarinus, fœni semen, ruta, samsuchus, fœnugræcum incocta erant: Sudabant ad lipothymiam usque.*

que. Cucurbitulas in cubitis iuxta carpos, & talis prope locum affectum, affigebat, ſanguinemque quoadusque poterat, educens, inde diachylum cum reſinæ modico ſuperponebat, articulos autem affectos oleo cum ſale perunxit. Aliqui etiam egreſſis balneo emplaſtrum aliquod præſcribunt, idque ſolùm pedum plantis accommodant, quemadmodum facit Poppius *lib.* III. *Theſaur. Chymic. p.* 681. Oleum etiam Ceræ hîc in uſum trahi poſſe autumo, quod materiam impactam egregiè diſcutit, ac pedes inſuper confortat. Nollem tamen illud communiter præparare, ſed potiùs cum oſſibus calcinatis, quæ calcinatione acido ſuo ſpiritu exuuntur. Illa namque ceræ addita, familiaritate ſubſtantiæ acidum ceræ ſpiritum facilè in ſe derivant, ac ita viam parant oleoſæ ſubſtantiæ extrahēdæ. Conſiſten-

ſiſtentiam quippe ſolidiorem, inquilino ſuo acido ſpiritui cera refert acceptam, unde fit, ut aquæ forti iniecta, magis magiſque induretur. Hinc deſtillatio eius accelerari poteſt, oſſibus calcinatis eidem adiectis. Paratur autem ita: ℞. *Ceræ puriſſ.* ℔ j. *oſsium bubulorum, vel etiam humanorum* (quæ in noſtro affectu reliquis præſtare arbitror) *calcinatorum* ℔ ij. liquata cera cum oſſibus miſceatur, ac globuli inde formati vitreæ indantur retortæ, poſt aptato recipiente, ac commiſſuris clauſis, in arenâ deſtillatio graduali igne peragatur. Prodibit initiò phlegma, ſubſequente oleo, quod butyri inſtar coagulabitur. Liquidius ſi expetas oleum, vel per ſe, vel aquâ affusâ rectificari poterit. Oleum hoc, veſtibus inunctum, eas moſchi fragrantiâ inficit, quod imperiti mirabuntur,

buntur, cum aliàs in copiâ asservatum eiusmodi odorem nequaquam de se spargat, sed potiùs hircum oleat. Papicolæ hîc commendant sanguinem, ex imagine Christi crucifixâ aliquando profluentem. Fingunt illi, *in urbe Beritho*, intra terminos Tyri & Sydonis sitâ, Iudæos à Nicodemo propriis manibus factam Christi imaginem crucifixisse, è cuius latere, lanceâ confosso, aqua & sanguis effluxit, quo sanguine postea Iudæi plurimos ægros restituerunt, & imprimis cœcis contulerunt visum, ac paralyticum quendam senem, diu grabato affixum, inungendo confestim sanarunt: Videatur libellus Athanasio, *de imagine Christi in Syriâ crucifixâ*, perperam adscriptus. Hoc ficto remedio præfertur Amuletum illud, quod à Solenandro describitur, & cuius experimentum suis oculis

oculis se vidisse testatur, *section*. I. *Consil*. XX. *p*. 86. Nam etiamsi sciam, complurima περίαπτα, non modò characteribus insignita, ac ignorabiliter literata, ut Apuleius loquitur, sed & alia deridiculo haberi, etiam ab ipso Muhammed, qui morem suspendendi amuleta penitus prohibuit his verbis:

مَنْ عَلَّقَ تَمِيمَةً فَلَا أَتَمَّ لَـهُ

qui suspendit amuletum, non illi اللّٰهُ
favet Deus, vel non illi complet negotium Deus: tamen à Galeno ipso & aliis, cum magno ægrotantium fructu, quædam ex illis fuisse adhibita, benè novi, præsertim in epilepsiâ, ut videre est *lib*. VI. *de simpl. medicamentor. facultat*. Pentaculum autem istud ita se habet: Accipiatur testudo mascula (cognoscitur inter cætera ex caudæ discrimine,

&

& leni ſub inferiori teſtâ inciſurâ) ubi Luna fuerit maximè lumine diminuta, prius quam cum Sole coniungatur : amputentur vivæ crura omnia, & conſuta in ſacculos, ex pelle hædinâ anguſtos, alligentur membris patientibus, ita ut dextrum crus teſtudinis, dextro cruri ægrotantis reſpondeat, ſiniſtrum ſiniſtro : item anterius crus dextrum, brachio dextro applicetur, ſiniſtrum ſiniſtro. Exiſtimat verò Solonander, in frigidâ podagrâ adhibendas eſſe terreſtres : in calidâ aquaticas. Hoc remedio Monachus quidam ſexagenarius Neapoli ſub Pauſilypo monte ante portam id temporis habitans, ac quotannis gravi arthritide affligi ſolitus, à Siculo quodam egregiè fuit curatus, & genua ac reliqui pedum articuli inſigniter tumida, ab eius uſu optimè deſedêre.

Aliud

Aliud amuletum habet Mouſcetus Anglus *in Theatr.inſector.lib.* 11. *cap.* xv. *p.* 236. ubi ita ſcribit : *Podagra, quam nullâ ratione poſſe curari docti plerique ſtatuunt, ſolâ præſentiâ Aranei levamen ſentit & curationem, ſi Lunâ Soleque unà exoculatis (id eſt, illâ, quâ non lucent horâ) acceptus, pedibuſque poſterioribus multatus, & cervinâ pelle iuclusus, pedi alligetur dolenti, atque ibi aliquandiu manere permittatur. Quin etiam tutos ferè (quod pauciſsimis pharmacis uſu venit) à podagrâ chiragráque eos videmus, quorum ædes frequens araneus colit, ſuiſque aulæis & periſtromatis exornat.* Idem etiam pedes ranæ, noctu per Lunæ ſilentia amputati, corio cervino incluſi, ac per triduum pedibus alligati, efficere creduntur. Dexter ranæ pes podàgrico pedi dextro, ſiniſter ſiniſtro affirmetur. Aliqui inſuper Calcaneum Aquilæ, pel-

pellem vulpinam, & magnetem pedibus alligandum commendant.

Diaphoretica interna, quæ topicorum actionem iuvare possunt, varia sunt, & quidem inter ea *pulvis Aronis* extollitur, qui propter salem alkali mordacem & pungentem, insignem resolvendi vim habet, hoc nomine non tantùm generationem & coagulationem tophorum impedit, verùm etiam in dissolvendis iisdem mirè efficax est. Describitur autem ita:

℞. *radic. aron. ritè præparat.* ℥ ij.
acor. vulgar. communi modo præparat. ℥ j.
flor. betonic. ℥ ß.
lapill. astacor. ʒ iij.
Cinamomi ʒ j ß.

in pulverem redacta cum s. q. sacchari rosati misceantur, de quâ misturâ sumat podager cochlear dimidiatum, & quidem manè. *Sal ex*

cine-

cineribus Ciconiæ, cum plumis integrè concrematis, extractus, & cum liquore stillaticio herbæ chamępithyos, vel alterius cuiusdam exhibitus, singulare creditur esse remedium, & inter secreta habendum, quod Hamburgi, à Practico quodam urbico, mihi olim communicabatur. Fixo ciconię sali pręferendum esse crediderim *salem Naturę*, cuius parandi modum, cum non ubivis locorum exstet, hûc adscribere haud pigebit. Verno & ęquinoctiali tempore, ubi Sol Arietis punctum attingit, vel etiam æquinoctioli Autumno, Libram ingrediente Phębo, in prato quodam, nigro, pingui, & nitroso solo gaudente, ex fossâ, pedes duos altâ, terram puram, nullis radicum filamentis vitiatam, erue, globulos ex eadem paraturus. Hos siccatos, & retortæ Waldenburgicę in-

inclusos, aperto committe Vulcano, primitùs mitiori & postmodum fortiori (servatis gradibus) administrato igne. Initiò insipidus quidam latex exstillabit, quem seorsim servato, & apposito ventrioso recipiente, ac igne vehementer aucto, spiritûs prolicito, albicantis instar fumi, receptaculum oppleturos. Eodem quoque tempore parietes vitri fætido quodam oleo commaculari conspicies. Ignem tam diu urge, donec Mulciber nihil prorsus emulget. Hinc refrigeratis sponte vasis, spiritûs destillatione prolectos, in phiolam maiorem longissimi colli ingere, eaque in cineribus moderatè calidis locatâ, & oblutatâ, salem volatilem, albicantem, crystallisatum, odore salis urinæ infectum, sublimando collige, phiolæ collo abscisso. Mox aliud in eam

rem aptum impone capitellum, & iterùm ſublimationem inſtitue, uſque dum nullus ampliùs adſcenderit ſal, qui anteà in deſtillatione ſpirirus copiosè parietibns receptaculi, in ſublimatione verò tantum phiolæ collo adhærere viſus. Sale volatili ſtudiosè reſervato, ex capite mortuo fixum extrahe ſalem, cuius partibus viginti, adde ſalis volatilis partes duas, ac in vitro Hermeticè clauſo, & ſæpiculè agitato, ſales maritatos tam diu detine, donec nil quicquam in ſublime abeat. Huius ſalis Naturæ in convenienti vehiculo, vel integra ſiliqua, vel paulò minus adminiſtratur ægrotanti. Paracelſus *tom.* VII. *pag.* 136. ſalem xylohebeni extollit, cum theriacâ uſurpatum:

℞. *alcali xylobeben.* ℈ ß.
theriac. Alexandr. ℥ ij. M.

Detur ſcrupulus dimidius, eiuſque uſus aliquoties iteretur, extrinſecus parti dolenti gummi xylohebeni affricto. Ad reſolvendam, deſtruendam, & diſcutiendam materiam tartaream, Paracelſus quoque *tom.* 11. *lib. de tartareis morb. cap.* XVIII. *p.* 402. vehementer prædicat oculos cancri, lapidem Iudaicum, lyncis, Lazuli, ſpongiæ, ætiten & cryſtallum. Ex quibus hâc viâ liquorem elici iubet. Lapides in pollinem attenuatos cape, his optuma vini eſſentia affundatur, deſtilletur, ac novies repetitâ cohabatione, eadem à lapidibus abſtrahatur. Poſt calcinando lapides, iiſque priorem vini eſſentiam affundendo, conſpicies lapides in dictâ eſſentiâ reſolvi, & planè ſalis inſtar liqueſcere.

Factâ ſolutione, deſtillationem inſtitue, & materiæ in fundo re-

ſtanti aliam vini eſſentiam adde, abſtracturus iterùm eandem, & operationem iteraturus, donec omnia è cucurbitâ fuerint emulcta. Liquores prolectos coniunge, & uſui ſerva. Huius deſtillati manè & veſperi pauxillum ægro exhiberi poteſt, non modo in podagrâ, calculo, ſed in omnibus morbis, à tartaro coagulato dependentibus. In eundem uſum quoque commendatur *Lapis Animalis* à gr. vj. ad gr. xij. exhibitus.

℞. Urinæ pueri, optimæ conſtitutionis, vinumque bibentis, ℔ xI. ſtent in putredine menſem integrum (quo diutiùs in putredine hæſerit lotium, eò plus ſpirituum præbet) poſtea deſtillentur in arenâ. Exibit ſpiritus ſtillatione acris ac igneus, quem rectificatum materiæ nigræ, in fundo reſtanti, iterum affundes, ac gradatim deſtillatio-

lationem iterabis, quo facto, ſal quidam cryſtallinus, alembici parietibus adhærens, ſublimabitur, quem accuratè ſerva, ne tenues evaneſcat in auras. Deinde caput mortuum calcinando igneſcat, & adhibito phlegmate natalitio, ex eodem ſal fixus extrahatur, ac poſtea ſpiritus intentiſſimo igne ex ſale evocetur. Huic ſpiritui guttatim inſperges ſalem priorem, volatilem, in aquâ ſolutum, & excitabis ſtrepitum ingentem. Tandem peracto prælio in B. leni calore phlegma abſtrahes, relicto in vaſis fundo gummi quodam albicante.

Hanc materiam ovo philoſophico incluſam, ac vaporoſo balneo immerſam, in lapidem rubini coloris æmulum, ac pellucidum, excoque, qui dolores arthriticos ſedare, podagram, calculum, hy-

dropem & sexcenta alia, curare creditur à Rhumelio, *in dispensator. Chymico;* libello ut novo, ita prorsus inutili. *Bezoarticum quoque Ioviale* à gr.j, ad gr.iij, vel gr.iiij, sumptũ, podagræ reliquias cum totâ radice funditùs per διαφόρησιν evellere, tradit Hamerus Poppius *in Basilic. Antimon. cap.* IIX. *p.* 36. Descriptio autem Bezoartici Iovialis hæc est: ℞. *reguli antimon. simplic.* ℥ iij. *Iovis puri in Angliâ nati* ℥ ij. seorsim fusa misceantur, ac posteâ pulverisentur, pulveri adde *Mercurii sublimati purissimi, sine arsenico exaltati, & priùs subtiliter in marmore lævigati* ℥ v. omniaque commista subitò in retortam parum excalefactam ingere, & ultrò butyraceum oleum videbis egredi, gradatim tamen ignem subministra, ut etiam post duas horas suppressorium ignem adhibeas: hoc butyrum

cum

cum ſpiritu ſalis fuſilis ter cohobando in album præcipitatum fige, & poſtea ignitum in S. V. extingue. Idem Poppius *cap.* IX.*p.*38. tincturam vitri antimonii aurificati commendat, cuius in προφυλάξει facta eſt mentio. *Vellus quoque aureum, ſeu Lana Solis,* non incommodè hûc refertur, ſcribitque Barthius in Beguin. *lib.* II.*cap.* XIIX. *editionis Pelshoferi, p.* 409. D. Iohan. Weidnerum, Reipublic. Sprottavienſis Phyſicum ordinarium, Lanâ aureâ in ſpecifico liquore uſum, nunquam ab eo tempore paroxyſmis arthriticis fuiſſe infeſtatum, cum antea ſubinde podagricus decumberet, & immanibus cruciatibus torqueretur. Iiſdem floſculis aureis etiam unum vel alterum, in agone conſtitutum, idem Weidnerus in vitam revocaſſe dicitur à Barthio. Parandi mo-

dus hîc eſt: Collige rorem ex tritico, menſe Maio, ante exortum Solis, cœlo ſereno, loco editiore, linteo expanſo, & in diſcum expreſſo, atque in vas fictile effuſo. Stet per dies quatuordecim, vel etiam menſem unum, in loco aliquo, tantiſper, donec craſſior & feculenta pars ſubſidat, Filtretur. Cape, quod purum & clarum eſt, ac eo vitrum orificii ſtricti, & latioris fundi reple, tertiâ fere ſui parte; inditis duodecim auri foliis, aliquantulum inciſis. Obturetur membranâ triplici, & collocetur in locum calentem, ſive tepidum, æſtate, puta, ad ſolis radios, hyeme, retrò fornacem. Ac dum menſes novem cum dimidio præterierint, aperiatur vitrum: & fac, aliqua pars exhalet. Poſtea effunde totum liquorem, unâ

cum remanentiis: ac vitrum rursus clausum colloca in cineres calidos, usque dum exsiccetur. Permittatur adhuc aliquandiu exsiccari. Atque ita demum lana illa aurea, quæ antea visum ferè effugiebat, sponte suâ de lateribus vasis resoluta, fundum petet. Quam plumis leviorem, ab aëre & vento custodi, & usui reserva. *Oleum Antimonii* Rogeri Baconis, ut & *oleum Antimonii dulce* Paracelsi, alia inter, insigni elogio donantur, crediturque eorum usus triduanus radicitùs malum extirpare. Verùm destillatio olei, sive secundùm Baconem, sive Paracelsum instituatur, semper irrita est, nec unquam adscendit id, quod anxiè expetimus. Est præterea *oleum quoddam ἀμπφυὲς*, quod in Regno Atezin, & in regno Pe-

gu Indiæ orientalis, in locis montanis è terrâ exſudat, colorem cereviſiæ nigricantis, vel vini Malvatici referens, terrei ſaporis, in arthriticis affectibus, contracturis, & aliis malis arcendis nobile. Illud locorum dictorum incolæ ut plurimum cum pauxillo cereviſiæ aſſumunt. Solvitur Bataviæ, à Belgis conditæ, in Iava maiori ſtophus iſtius olei dimidius decem Imperialibus, mihi narrante quodam, qui integrum decennium, & quod excurrit, in locis orientalibus peregrinando confecerat.

SUBSEC. IV.

Cura Podagræ scarificans, & Caustica.

PODagram etiam aliqui curârunt, institutâ ex parte affectâ evacuatione, & quidem ante statum, in ipsis accessionibus, & increscente morbo. Admoverunt autem non tantùm cucurbitulas scarificatas, sanguisorbas hirudines, sed & vesicatoria, & caustica medicamenta, quæ cutem exedendo, ac humores, partes articulosas obsidentes, ac vitiantes, ad exteriora revocando, morbum non modò mitiorem, sed & evacuando breviorem reddidisse feruntur. Hac curandi methodo tum ante Galenum, Erasistratus Sicyonius, & Diodorus, tum post Galenum, Aëtius Philagrium secutus, & alii

usi sunt. Et postquam huiusmodi medicandi ratio, in desuetudinem veniens, diu neglecta fuisset, eandem iterùm in lucem revocarunt Paracelsus, Sachetus, & alii. Quod autem in principio & augmento morbi, ubi fluida adhuc est materia, & facilè mobilis, evacuatio illa ex parte affectâ tuta & salutaris sit, Sachetus *cap. x. in retractat. de podagric. & arthritic. morb. p. 51.* etiam inde probare desudat, quod licitum sit, secundùm Galenum, increscente morbo, materiam in locis affectis hærentem, digerentibus elicere, & in auras vertere, ideoque concessum quoque statuit, cucurbitulis & causticis admotis, inter initia peccantem ex parte affectâ provocare humorem. Insuper experimento rem stabiliens testatur, Comitem quendam *Nicolaum Gam-*

baram

baram curam illam in proprio corpore, tutiſſimam & ſaluberrimam deprehendiſſe, ideoque curam illam, Comitis nomine inverſo, *Laonicam* vocitat~. Peragitur autem hæc à Sacheto toties dilaudata medicatio ſequenti modo: Levis cucurbitula ſine ſcarificatione primò ægræ adhibetur parti, quâ humor vitioſus ſub cute, & in partibus remotioribus hærens, ad pedum extremitates invitatur. Mox ſcarificatione inſtitutâ, & admotâ cucurbitulâ, attractus humor evacuatur. Quod ſi fluxio nihilominus urgere videatur, purgatione ac venæ ſectione ἀντίσπασις molienda eſt, & poſtea iterum partibus, loco affecto ſuperioribus ac circumpoſitis, affixis corniculis materiæ copia intercipienda, atque evacuanda. Scarificata autem loca, remotis cucurbitulis, de-

cocto irrigantur anodyno, ac vulnuscula eluuntur, ne humor in iis subsidens putrescat, aut corrumpatur. Cucurbitularum applicatione ob materiæ copiam sæpius iteratâ, ad vesicatoria & caustica medicamenta postmodum itur, quæ unguento populeo, rosato, aut refrigerante Galeni, temperata affirmantur, ne caustica vehementiùs trahendo, dolorem ac materiæ affluxum augeant, & exasperent. Vesicatorio detracto rescinditur vesicula, citrinam ac ferventem sæpè materiam expuens, quâ detersâ, ac ulcere mundato, enervatum brassicæ folium, butyro sordidulum, ad mitigandam caustici vim, & impediendam consolidationem, imponitur. Paulò post remoto folio, collecta instar iuris concreti materia detergetur. Hoc curationis genus intra diem naturalem

ralem ter quaterve repetitur, ac ſingulis vicibus decocto aliquo tepido locus affectus humectatur, dolorque mulcetur. Humore penitùs evacuato, ac fluxu ſubſiſtente, cutis inſtauratur unguento è ceruſsâ adhibito. Refert autem Sachetus *l. c. cap.* XIX. *p.* 118. Gambaram Comitem in explorandis latebris humoris, pruritum facientis, admodum fuiſſe curioſum, & cultello acuto ulteriùs contaminatam inciſiſſe cutem, nec ceſſaſſe ab opere, priuſquam hoſtis latens eſſet inveſtigatus. Recurrente autem morbo ſolis corniculis (omiſſis veſicatoriis) uſus eſt Comes, & quidem extemplò inter initia mali, atque ſic intra paucos dies, vel etiam horas, ab inſtante paroxyſmo ſeſe vindicavit. Veſicatorium Gambaræ tale fuit:

℞. *Cantharid. præparat.* ℥ j.

fer-

ferment. veter. ℥ v.
euphorb.
stercor. columbin. an. ʒ j.
aceti acerrim. alb. q. s. M.

Huius particula applicata, spatio sex vel septem horarum vesiculas excitavit. Trallianus quoque (qui Oribasio Aëtioque posterior, Æginetâ prior exstitit) *lib.* XI. *p.* 199. *editionis Græcæ Parisiensis*, in principio morbi allium lævigatum cottidiè pedibus admovit, nec solvit, donec exulcerati essent. Paracelsus itidem in extirpandâ podagrâ, curam hanc causticam extollit, eamque *Apertam* vocitat, eò quod partem affectam aperiat, & vi quasi quâdam tartarum extrahat. Tale autem initiò præscribit medicamentum causticum:

℞. *Mercurii sublimat.*
aquæ fortis.
arsenic. an. q. s.

M. F.

M. F. Pulmentum.

Pulticula hæc toti parti dolenti, & tumenti apponenda, si verò integrum membrum ταλαιπωρεῖ, & infortunio obsidetur, locus maximè conveniens eligendus, pro impositione medicamenti. Eschará inductâ, quæ illam removent, admovenda sunt, & postmodum attractivum imponendum:

℞. *Minii.*
lithargyr.
lapid.calaminar.
carab.
magnet. an. ℔ ß.

pistilli circumactu in mortario contundantur, in pollinem comminutis addantur:

Ol. lini ℔ vj.
Cer. ℔ iij.
terebinth. ℔ ij.
vernic. ℔ j.

Coquantur ad consistentiam empla-

plastri, brunei coloris, cui dissoluta aceto, & percolata adiiciantur gummi:

℞. *Opopanac.*
galban.
sagapen.
bdellii.
ammoniac. an. ℔ ß.

parùm ebulliant, & tandem recipiant.

Carab.
mastich.
oliban.
myrrh.
magnet.
aloës hepatic. an. ℥ iij.

spatulâ agitando & malaxando F. emplastrum, quod partibus caustico medicamento exesis, remotâ escharâ, impositum, humores allabentes, salemque tartareum resolvit, dissipat, evacuat. Peccante m teriâ evacuatâ, & ita malorum

Lernâ ablegatâ, ratione συμφύσεως, pulverem Croci Martis ulceratæ parti inſpergi iubet. Hæc eſt Cura podagræ, *Aperta* vocitata Paracelſo, quam tradit *tom.* IV. *tractat.* II. *de morb. ex tartaro, cap.* II. *p.* 16. Ioh. Poppius *lib.* III. *Theſaur. Chymic. p.* 664. itidem hâc curâ delectatur, & primitùs parti affectæ aquam fortem iterum & ſæpiùs allinit, eamque excoriat, poſtea emplaſtro admoto, ulteriùs partem erodit, ac tartarum evocat:

℞. *Cantharid.* ʒ ij.
ranuncul. flamm.
ſcammon. an. ℥ ß.
euphorb. ʒ v.
camphor.
magnet. præpar. an. ℥ j. ß.
ſuccin. præpar. ℥ j.

in pulverem comminutorum uncia una emplaſtro alicui gummoſo, vel etiam unciis quatuor ſac-

chari

chari misceatur. Huius misturæ particula linteo affricatur, & loco ante excoriato imponitur, tandem abiecto priori emplastro, *opodeldoch* ad perfectam usque sanationem applicatur. Quo cum verò ægro mitiùs agit Poppius, huic partem tartaro obsessam initiò scarificat, & corniculis appositis, evacuationem molitus, podagricum minerali balneo horæ quadrantem, vel diutiùs, pedes immergere, & quidem bis singulis diebus, ac balnei usum continuare iubet, usque dum tartarum penitùs resolutum, & evacuatum fuerit. Balneum tale est:

℞. *Consolid. Regal.*
millefol.
hyperic.
centaur. minor. an. M j.
vitrioli.
aluminis an. ℥ j.

cine-

cinerum fagi ℥ ij.

in aquæ menſuris octo, vel decem, ebulliant. Vel:

℞. *flammul.*

fol. hellebor. nigr.

ſenæ an. M j.

fabar.

lentium an. M iiij.

vitriol. ℥ j ß.

ſalis gemm. ʒ vj.

ſulphur. crud.

antimon. an. ℥ ij.

Coquantur in aqua pro balneo pedum.

Verùm enimverò, etiamſi *curâ Apertâ* dolores podagrici, inſigniter ferocientes, demulceri, humores vitioſi ac ſalini, per patentem inducti ulceris viam, partim evacuari, partim inſenſibiliter diſſipari & reſolvi poſſint, tamen illam veriùs carnificinam, quàm utibilem, & Medicis inſiſtendam dixerim Cu-

ram,

ram, maximè in principio morbi. Etenim abominabile est primitùs, hîc loci appositis causticis partem adurere, exulcerare, & ita afflicto ægro afflictionem addere. (2) res maximè periculo plena est, in parte exangui, frigidâ, cuius ἔμφυτον θερμὸν à morbo toties recurrente pessundatur, cauteria adhibere, & hoc modo evacuare: cum locus iste exulceratus difficulter, imò nullis remediis quandoque, ad σύμφυσιν deducatur, præsertim in subiecto νοσερῷ, & humoribus affluente vitiosis. Hinc & in erysipelate affirmanda haut sunt parti affectæ talia medicamenta, quæ suppurationem, aut exulcerationem inducere queunt, cum secundùm Hippocratem VII. *aphor.* XX. ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σπιλώδων, ἢ ἐκπύησις, κακόν. (3) Facilè τῆ μορίε νεκρότης, seu gangræna induci potest, ulcere excita-

citato, & affluxu materiæ continuato, quam poſtea ἀκρωτηριασμὸς, ſeu membri detruncatio, ſæpenumerò neceſſariò ſubſequitur. Ita arthriticum quendam, applicato cauſtico, & gangrænâ ſubſecutâ, occubuiſſe refert Zacutus Luſitanus *lib.* III. *prax. Med. admirand. obſervat.* CXLII. *p.* 478. (4) neque ob arſenicum pulticulæ erodenti additum (quod Paracelſus facit) cauſticum illud ſatis tutò applicatur, cum & Magnes Arſenicalis interdum deprehenſus grandia invexiſſe ſymptomata. (5) etiam hoc nomine à quibuſdam improbantur Cauſtica, quod evellant, ac diſſipent plerumque id, quod tenuium eſt partium, relictâ craſſiori materiâ, quæ temporis tractu in lapidem dureſcens, tophos procreat, in quâ ſententiâ etiam eſt Budæus, *in curation. articular. morbor.*

bor. p. 34. Præſtat itaque, Autoribus ſuis relictâ Curâ Causticâ, in principio morbi, partes, ab ἑστίας τοῦ θερμοῦ extremè diſſitas, mitioribus remediis tractare, ſenſim reſolventibus materiam, tuber, ac dolorem parientem, per ἄδηλον διαπνοὴν in auras vertere, dolorem paregoricis, anodynis, & narcoticis quandoque mitigare, quàm erodentibus ſemineces ac imbelles partes ulcerare, humores omnes eò præcipitare, gangrænam & ſphacelum inducere, & ita membrorum amputationi anſam quandam largiri. Nec cultello uſque adeò tutum eſt, incidere cutem, quod Gambara factitare erat ſolitus, cum Guilhelmus Fabricius *epiſtolar. Centur.* 1. *epiſt.* LXXX. *p.* 416. tradat, virum quendam Generoſum in Burgundiâ, arthritico dolore in digito pedis minimo correptum, ſcalpello tuber-

tuberculum, in ipſo digito exiſtens, perforaſſe. Cum verò altè nimis infixiſſet ſcalpellum, dolor inde acerbior fuit factus, ſubſequente paulò poſt gangrænâ, ita ut coactus fuerit, tibiam ad poplitem Chirurgorum operâ ſibi amputare, quam amputationem mors ipſa inſecuta eſt. Quod verò Gambara, traditâ ſuperiùs curâ, ſanitatem recuperârit, nec mali quidpiam ſit paſſus, ſciendum, fatatum illud fuiſſe, & μίαν χελιδόνα ἔαρ οὐ ποιεῖν· ideoque quod huic ſalutare, aliis verò exitioſum exſtitit, id non facilè imitari debemus, ne ſcilicet experimenta per mortes aliorum facere dicamur, ut habet Plin. *lib.* XXIX. *cap.* I. *hiſtor. natur.* Interim non ſimpliciter Cauteria reiicio, ſed hoc ſaltem volo, quod in principio podagræ, corpore vitioſis humoribus abundante, talia ad-

administranda non sint, præsertim pedibus calore suo vehementer pauperatis. Aliàs novi, tempore adhibita Cauteria suo modo etiam iuvasse ægros, doloremque ad Indos amandasse. Ita Capitaneo cuidam, cui nova materia in pollicem maiorem sinistri pedis influxerat, circa vesperam igne articulum, ubi rubebat, ussit Spigelius, apposito statim emplastro Diapalmeo. Huic tumor pollicis tertio ab ustione die evanuit, & crusta, quæ exusta erat, sicca permansit, ut statim, quò vellet, incederet. Videatur Spigelius *de arthritid. p.* 95. Consimilem quoque narrat historiam Guilhelm. Fabricius, *observat. Chirurgic. Centur.* III. *observ.* XCIIX. *p.* 432. quod nempe dolor vehementissimus, in calce pedum exortus, applicatione cauterii potentialis, reliquis nihil conferentibus

reme-

remediis, desubitò fuerit sedatus. Sed in his subiectis, meo quidem arbitratu, nativus pedum calor robustior fuit, qui partes defendit à νεκρώσει, & sphacelo mortificante. Deinde affluxus materiæ, pedes infestantis, mitior quoque extitit, corporibus venæ sectione, & iteratis purgationibus, tum per secessum, tum per vomitum, optumè evacuatis. Proinde antequam Medicus cauterio podagram adoriri occeptet, consideret priùs, utrum pedes vehementer sint infirmati, & calido suo naturali exhausti: quod si viderit, prorsus eos esse imbecilles, & à Catorthomate naturæ degenerantes, cauterio abstineat, & aliis remediis malum debellare cogitet. Videat insuper, ut corpus debitè evacuetur, ante Cauterii applicationem, ne sinistro & intempestivo eius usu fe-

 rinus

rinus excitetur affluxus, eodemque calor pedum magis magisque destruatur, atque ita gangrænæ habitaculum quasi quoddam præparetur. Pars affecta quomodo confortanda sit, in præservatione abundè dictum est.

Subsect. V.

Cura Podagræ Magnetica & Transplantatoria.

Dogmaticæ Curationi subiiciendam esse ratus sum Curam podagræ Magneticã, & Transplantatoriam, quâ nonnulli non modò nostrum affectum, Herculeum sanè, sed & alia δυσαπάλλακτα νοσήματα, animosè aggredi non sunt veriti. Ita Lysimachia purpurea, ipso Iacobi die, vesperâ ingruente, effossa, torrefacta, sacculo inclusa, & collo novendium suspensa, post-

modum

modum in profluentem missa, putrilaginem gingivarum scorbuticam arcere, & emaculare conati sunt. Prominulos ventris tumores, hydropicos intelligo, vesicâ bubulâ ægrotantis lotio repletâ, in furno fumante aliquandiu suspensâ, & deinde effuso lotio, ac vesicâ in Cloacam seu latrinam coniectâ, detumescere censuerunt. Radice iridis luteæ, mense Maio eradicatâ, & collo (ut scrobiculum ventriculi attingat) appensâ, diarrhæam, & consimiles fluxûs alvinos, radice verò ostrutii seu Imperatoriæ, Lunâ crescente effossâ, nuchæ (ut meditullium spinæ dorsi tangat) affirmatâ, & postea in præterlabentem fluvium proiectâ, catarrhos graves curare sunt ausi. Similiter ulcerum inveteratorum solidam & citam curationem herbæ Persicariæ interventu promit-
 tunt.

tunt. Dictam plantam, Lunâ decrescente, partibus ulceratis alligant, & spatio XXIV horarum elapso, recentem apponunt, applicatione in dies continuatâ, usque dum Luna iuvenescere, seu iterùm crescere incipit. Remotam ab ulcere herbam fimo contumulant, σήψει consumendam, cuius putredinem, perfectam ulceris curationem insequi rigidè contendunt. Unguium quoque segmentis, & pilis aliquot è syncipite patientis evulsis, ac certo modo in arborem quandam vegetam transportatis, tabem seu phthisin; sanguine verò ex medianâ ægrotantis extracto, ovi gallinacei testæ artificiosè incluso, & ita ovo gallinæ XIV dies supposito, postmodum sui famelicæ exhibito, icterum, & morbos, ex vitioso sanguine oriundos, transplantando averruncare satagunt.

Alii in febri, biduo medio intervallatâ, in quâ secundùm Phavorinum apud Agellium, *lib.* XVII. *cap.* XII. μία μητρικὰ, καὶ δύο μητέρες, ægrotantis lotium sumunt, idque cum farinâ subigunt in massulam quandam, ex quâ panẽ, ab esuriente cane devorandum, conficiunt, & ita febrim, difficilem extirpatu, avertere desudant. Dentium dolorem acerbissimum, φυτεύσει singulari adhibitâ, quomodo nonnulli destruere conentur, omnibus notissimum esse censeo.

Eodem modo & Podagram (incipientem, non nodosam & inveteratam) Transplantatoriâ arte curare nonnulli occipiunt. Ægro pilos in utroque crure (hirsutus circa femora & crura Aristoteli dicitur λάσταυρος, prærabidus ad Venerem, & insigniter mutoniatus) novaculâ demunt, & insimul

ungues manuum pedumque ſtato tempore, Vere ſcilicet, arboribus de integro ſuccum recipientibus, & quidem propridie ante novilunium, reſecant, poſt terebrâ, in populo albâ, vel quercu vireſcente, foramine facto, ad medulloſam uſque arboris partem, unguium ſegmina & pilorum filamenta in locum excavatum, nullo ſegeſtri adhibito, tranſportant, foramine ligneolo, ex arboris cuiuſdam ramulo fabricato, accuratâ & profundè clauſo. Ligneoli propendens particula proximè arborem ſecuri amputatur, & admoto fimo vaccino ſaucia ligni pars propediem optimè deligatur. Quod ſi trimeſtri exacto ſpatio, malum podagricum haut recurrat, Arborem Magneticâ virtute efficaciſſimam arguit; ſin, redit, aliâ ratione cura ulterius erit attentanda.

Tri-

Triduo ante novilunium, terebrâ excavetur alia quædam vegeta & ſuccolenta arbor, eiuſque ſegmina, eâ quâ educta fuerunt horâ, contundantur, contuſa & ſacculo incluſa, partibus, dolore podagrico excruciatis, apponantur, ibidemque relinquantur integrum triduum, quo elapſo, ipsâ novilunii horâ, ſegmina illa remota, & excluſa ſacculo, in priorem & natalem locum iterùm ingerantur, foramine cuneolo, ut ante, probè & perfectè obturato. Si iam, antequam tres elabantur menſes, malum revertatur, & de integro patientem corripiat, iterùm ungues pedum manuumque reſecentur, & hirta tondeantur crura, ſegmenta verò unguium, & pilos abraſos, ſegeſtri commodo ſeu involucro incluſa, vivo cancro, & quidem eius dorſo, alligentur, baiulo cancro,

opimâ prædâ onuſto, in proximum profluentem dimiſſo. Hoc modo podagram tranſplantatoriè curari, & penitùs extirpari aſſeverant, ſi nec viſcera inſigniter de ſuo ſtatu ſint deturbata, nec malum annoſum, duroſque tophos generans.

Huc quoque ſpectat *Sigillum antipodagricum*, tribus laminis conſtans, quod certo tempore ex obryzo auro, argento, ferro & plumbo conficitur, characteribus exornatur, ac ægro appenditur. Huius deſcriptionem, & parandi modum, vide apud Paracelſum *tom.*x.*lib.*1. *archidox. Magic. p.* 327. Huic affine eſt *Pentaculum*, quod memoriæ prodidit Trallianus *lib.*x1.*p.* 199. *Λαβὼν πέταλον χρυσοῦν, σελήνης ληγούσης, γράφε ἐν αὐτῷ τὰ ὑποκείμενα, καὶ ἐνδύσας εἰς νεῦρα γεράνου, εἶτα ὅμοιον τῷ πετάλῳ σωληνάριον ποιήσας, κατάκλεισον καὶ φόρει*

περὶ τοὺς ἀςραγάλους, μει, θρευ, μόρ, φορ, πυξ, ζα, ζων, θε, λου, χρι, γε, ζε, ον.
In laminam auream, Lunâ desinente, quæ sequntur scribito, & nervis gruis involvito, deinde simili canaliculo seu tubulo ipsam includito, gestatoque ad talos, mei, threu, mor, phor, teux, za, zon, the, lou, chri, ge, ze, on. De Pentaculis hisce, eorumque virtute, in curando podagrico affectu, etiamsi nihil affirmare ausim, nisi quod ἐθελοθρησκείαν & superstitionem coniunctam habeant, Curam tamen Transplantatoriam penitùs improbare aut reiicere vix possum, cum constet, istius ope aliquando fuisse curatam podagram. Sic Michaël Maierus, *in Civitate corpor. human. cap.* IX. *p.* 162. refert, sibi à Principe quodam narratum esse, artis transplantatoriæ beneficio, omnibus aliis remediis frustra, & sine omni fructu adhibitis, duas

Perſonas ſanitatem integrè recuperaſſe, quarum prior acerbiſſimo humeri & ſcapularum dolore, altera circa pedem eodem cruciatûs genere torquebatur. Et quanquam cauſa curationis iſtius abſtruſior nonnihil ſit, & intricatior, propterea tamen reiičienda haut eſt, cum plurimi morbi eiuſmodi remediis curentur, quorum cauſam aut nunquam, aut difficulter reddere, vel inveſtigare poſſumus. Sic *Vnguentum B. Anshelmi* dictum, ſeu *armarium*, ferro, ligno, lateri, veſti, aut conſimili rei, vulneris cruore commaculatis, illitum, ſaucios ægros reſtituit, etiamſi aliquot milliaria abfuerint. Hæc curatio ut certa, & omnis ſuperſtitionis expers eſt, præterea à nemine ampliùs in dubium vocatur, ita Curationis cauſa obſcurior nonnihil, & magis ambigua cenſetur. Similiter

liter alia sunt, quæ in Naturâ fieri notantur, quorum causæ itidem dubiæ, & maximè ancipites habentur. Ita sexcentis constat experimentis, hominis sceleratissimè interempti cadaver, eiusve partem, exactis ab interfectionis momento plusculis diebus, mensibus, imò annis, sanguinem confestim sudâsse, quamprimum homicida locum illum fuerit ingressus, in quo cadaver ipsum, vel particula eius asservabatur. Sic Ietzehoæ in Holsatiâ hominis occisi amputata manus, in carcere suspensa, atque arefacta, post integrum decennium, cruorem sanguineum stillando, homicidam prodidit, quemadmodum hanc rem, multis magnis testibus, Regiisque adeò Consiliariis roboratam, ex Simeone Gulartio allegat Comenius *in Synops. Phys. cap. x. p.* 190. Mirum quoque

eſt, quod hominum aliquis Conſilia, ſtatum vel conditionem ſuam, detegere poſſit alteri, etiamſi prorſus ſit neſcius, ubi terrarum ille hæreat, cui res ſuas concredere exoptat. Hoc autem ſequenti modo fieri poſſe contendunt. Uterque ſibi vulnus brachio infligit, ſanguinemque emanantem ac ferventem adhuc, appoſitis brachiis alter in alterius vulnus ingerit, & ita commutato ac inſtillato ſanguine, vulnerum conſolidatio procuratur, applantatâ eam in rem convenienti medicinâ. Curatum, ac cicatrice obductum vulnus, in partes poſtmodum duas vel tres, ſupremam, mediam & imam, diſcriminant, ita ut quælibet pars certi quid ſignare debeat, de quo ante conſultatio inſtituta. Iam ſi unus, in locis etiam maximè diſſitis hærenti amico, quid ſignificare deſi-

derat, acu arreptâ partem aliquam vulneris pungit, & ita dolore excitato ob conſenſum alteri manifeſtat, quod particula illa puncta ex compacto notificare debebat. Cauſam huius rei, liberum cuivis iudicium relinquens, ſtatuerem hanc: quod nempe ſanguis, naturâ ſuâ balſamicus ac ſpirituoſus, alteri communicatus, maritatus, & probè miſtus (aliquam quoque partem in pus degenerare, nullus dubito) abeat in carnem albicantem, ac denſatam, quam cicatricem appellamus. Antequam autem id accidat, uterque ſanguis uniter ac amicè conſpirans, balſamicos ſuos invicem confundit, ac conſociat ſpiritûs, & ex amicabili congreſſu ac implexu eam ſortitur conditionem, ut poſtea Cicatricem, ex cruoris accuratâ & coniugiali miſcellâ genitam, ſpiritûs illi balſamici con-

consociati iugiter imbuant, insuccent, eique indissolubiliter maneant uniti. Exinde, cicatricis aliqua parte acu compunctâ, balsamicus iste spiritus, mistus ac coalitus, afficitur quodammodò, dolorque soluto continuo excitatur, quem doloris sensum alterum illud subiectum, in locis etiam distantissimis hærens, ob simile spirituum sanguinisque coniugium, cicatricem efformans ac vegetans, percipit, ac συμπαθῶς condolet. Eadem ratio in Nobili illo Neapolitano quoque militat, qui in duello naso truncatus, eundem ex servi cuiusdam brachio reparari curavit. Verùm cum exacto sexennio servus mortalitatem expleret, nasus iste mutuatitius, in vivis manente Nobili, computruit, & ad decidium servi, ipse deciduus factus est. Sed ad Curam Transplantatoriam

toriam morbi podagrici iterum abeo, rationem pro virili investigaturus, si non exactam, probabilem tamen. Primò autem suppono, ungues ac pilos eodem spiritu regi, quâ glutinosa illa materia, ex quâ constituuntur, regebatur. Quod exemplis ita declaro. Pinguedo ursi vasculo conclusa, ac asservata, hyeme augescit, eò quod ursi in latibulis suis otiantes ac stertentes, eodem tempore pinguescant, & obesuli reddantur. Sic etiam tartarea vini fæx commovetur, & turbatur, ob spiritum illum, quo vites, brumali tempore demortuæ quasi, adventante Vere evigilant, & ad germina protrudenda instigantur. (2) suppono, unguium ac pilorum spiritum, cum glutinosis articulorum partibus, quandam familiaritatis alere tesseram, ob commune alimentum, id-

que

que viscidum, quo particulæ illæ enutriuntur, ac sustentantur.

Iam pili & ungues, arbori vegetæ & succulentæ inserti, ac natalitio ipsius arboris succo perfusi, concrescunt in eandem, & ita spiritus ille unguium ac pilorum, ab accessu balsamicâ arboris virtute, vegetatur, roboratur, & omninò ita disponitur, ut satis validus sit, ad afficiendam & firmandam articulorum glutinosam substantiam, quæ postea ob συμπάθειαν roborata & instaurata, tartareum humorem, articulosis partibus infestum, corrigit, absumit, & in auras vertit (3) dico, etiam cum humore salsugineo, podagram excitante, unguium ac pilorum glutinosum & salinum principium quodammodo convenire. Hinc salinus unguium ac pilorum spiritus, à succo vegetante ipsius arboris excitatus,

tus, ob naturæ convenientiam, humorem podagricum è corpore evocat, & magneticè ad se rapit: Unde fit, ut arbor sæpenumerò exarescat, novitio illo admisso & recepto hospite. Segmina verò arboris, podagrosis affirmata partibus, salsuginosi humoris particulam imbibunt, quæ in arborem beneficio segminum transplantata, ac balsamo natalitio arboris perfusa ac irrorata, reliquum quicquid est in corpore humoris salini, ob substantiæ similitudinem allicit, eidemque paratum indulget hospitium. Quomodo autem ungues ac pili gammaro impositi, ac in profluentem missi, padagram eliminent, adhuc gravius est dictu. Arbitror tamen, rem ita peragi: Gammarus involucris suis crustosis, quibus ceu loricâ incingitur, spiritus quosdam salinos (ex his

cius cruſtoſum involucrum conſtituitur) communicat, partim ad vegetandum ſquammoſum integumentum, partim ut excutiat onus illud, dorſo impoſitum. Iam ex affluxu ſalini iſtius ſpiritûs, unguium ac pilorum conſimile principium, non tàm removetur & excutitur, quàm vegetatur, excitatur, & ad humorem tartareum (cuius naturam quodammodo ſapere ungues ac pilos, retuli ante) in corpore arthritici hærentem, magneticè evocandum & auferendum impellitur. Sed nolo prolixior eſſe in his, ne reprehenſionem incurram eorum, quorum palato hæc minimè arridebunt. Interim liberè ſentiendo nemini perſuaſum velim, ut his in ſolem & pulverem adductis aſſurgat, ſuumque adiiciat calculum, ſed hoc ſaltem amicè expeto, ne ſtatim ad ſuperſtitionem

aliquam recurrentes, diabolici quid comminiſcamur, ubi huius vel iſtius effectûs cauſa occultior & abſtruſior nos latet. Tandem ad nodorum propero Curam.

SUBSEC. VI.

Nodorum cura.

His expeditis nodorum cura paucis delibanda. Nam etiamſi perſpectum habeam, podagram nodoſam difficulter curari, ex Principum Medicorum aſſerto, tamen haut oberit etiam hîc aliquid tentâſſe, cum monſtra ſæpiculè accidant in morbis, & toties ſalvetur aliquis abſque ſpe mirabiliter, ut loquitur Iben-Sina *lib.* IV. *Fen.* IV. *tractat.* II. *cap.* X. Imò curatam fuiſſe podagricam πώρωσιν ſemel atque iterum hiſtoriæ Medicorum atteſtantur; refertque Zacutus Luſitanus

nus *lib.* 11. *prax. Medic. admirand. obseruat.* CLXXIIX. *p.*295. bracteam plumbeam subtilissimam, per mensem super tophum impositam, in rustico quodam valido, tophum penitùs discussisse. Nodis itaque & tophis sequens emplastrum apponatur:

℞. *ol. visci pomor. Quercet.* ℔ j. aut ℔ ij. calefiat in vase ad ignem, calefacto adiice oleo
sapon. rasi ℥ iiij.

misceantur semper probè cum spatulâ, donec sapo cum oleo benè incorporetur, postea adde.

Ceruss. venet.
lithargyr. an. ℥ ij.
(semper miscendo cum spatulâ)
vitriol. ad rubed. calcinat. & pulverisat. ℥ j.
cinabar. ℥ ß.

semper

ſemper agitabis, dum adiiciuntur prædicta, uſque dum optima fiat emplaſtri conſiſtentia. Hartmannus *in prax. Chymiatr. p.* 189. ad nodoſitates nondũ inveteratas hoc emplaſtrum commendari ait, quod præter ſedationem doloris, etiam ex articulis tophaceam materiam, cute leviter apertâ, reſolvendo extrahit:

℞. *vitriol. Roman. ſeu Vngaric.*
aluminis Rochæ an. ℔ ß.
ſalis ℥ iiij.

hæc omnia coniunctim calcina in catino terreo, evaporando ſaltem, donec ſpiritûs etiam exhalare incipiunt, quibus odore perceptis, ſtatim à calcinatione deſiſte, & refrigerata in pollinem age. Huius pulveris, & farinæ hordei, cape æquales partes, has accuratè cum vini fæcibus miſce, & pultem hanc cum laciniâ partibus affectis appli-

applica. Exſiccatum denuò cum fæce tartareâ diſtempera, & apponendo ſic perge, uſque dum & dolor & tophi aſſumpti evanuerint. *Emplaſtrum Vigonis de Ranis cum Mercurio,* in arthritide nodosâ, ſingulares quoque obtinet virtutes, & deſcribitur in hunc modum:

℞. *ol. de ſpic.*
chæmæmel.
lilior.
aneth. an. ℥ j.
laurin. ʒ vj.
de croc. ℥ ß.
pingu. vituli ℥ iij.
thur. ʒ v.
euphorb. ʒ ij ß.
adipis viper. ʒ x.
ranaſ. vivent. N. iij.
lumbric. in vino lotor. ʒ xiiij.
ſucc. rad. enul.
ebul. an. ℥ j.

ſchæ-

schænanth.
stæchad.
matricar. an. M. ß.
vini odorifer. ℔ j.

Coquantur ad consumptionem vini usque, ac colaturæ addantur:

litharg yr. ℔ ß.
terebinth. clar. ℥ j.
ceræ q. s.
styrac. liquid. ʒ vj.

ab igne remotis, ubi refrixerint, adiiciendæ sunt Mercurii vivi, hominis ieiuni salivâ interempti ℥ ij. ac iugiter exactéque miscendo, ac subigendo in emplastri formam, magdaleones formandi, & usui reponendi. Hoc emplastro Lugduni Batavorum non ita pridem arthriticum quendam restitutum vidi. Historiam curati affectûs integrè adscribam. Decumbebat in Nosocomio Leidensi homo, quinquagenarius ferè, manibus pedibusque

busque insigniter laborans, qui circa dextri cubiti flexuram (ubi brachii os parte suâ inferiore cubito & radio articulatur) in exteriore parte, prægrandi topho, magnitudine gallinaceum ovum æquante, motumque voluntarium penitùs abolente (exceptis minoribus tophis, aliis partibus insidentibus) vehementer cruciabatur. Huic præscriptæ primùm fuêrunt pilulæ:

℞. *pilul. arthritic. chamæpit. Matthiol.* ʒ ß.
aloës rosat. ʒ j.
Cum s. q. *syrup. rosar. sol.*
F. pilul. N. xj.

Ex his, diebus alternis, tempore cænæ, duæ abs ægro deglutiebantur. Purgato corpore, extuberationibus apponebatur superiùs nominatum emplastrum, ad perfectam usque restitutionem. Partes nervosæ ac tendinosæ, ubi ab em-

emplaſtri uſu tenſæ nonnihil dolerent, ablato eodem, oleo amygdalarum dulcium inungebantur, & rurſus emplaſtrum imponebatur. Paucis ſic diebus elapſis, nodi illi inſignes detumuêre omnes, motus cubito, tumore illo magno diſcuſſo, rediit, & æger omninò ſanus evaſit, cum adſtantium omnium admiratione. Ex quâ obſervatione elucet, quàm ſalutares & mirabiles Mercurio inſint virtutes, in diſſolvendâ, diſſecandâ, & auferendâ mucilagine tartareâ. Eiuſmodi vires, ſacras certè & ſtupendas, in proprio etiam corpore expertus ſum. Quippe anno abhinc exacto, & quod excurrit, dum eſſem in Tranſylvaniâ, fodinas tum Auri, tum Cinabrii luſtrans, accidit, ut perreptanti mihi anfractuoſas Cinabrii (ex eodem, in pulverem acto, ibidem in urceis figulinis,

adhibito carbonum contusorum grosso pulvere, excoquitur Mercurius vivus) fodinas, toto de corpore manaret sudor. Quid factum? Ganglion mihi in sinistrâ manu ante aliquot annos Wittebergæ enatum, in insignem magnitudinem excrescens, motumque ferè abolens, sudore illo tollitur, materiâ eius per totum metacarpium diffusâ, quæ paulò post, die uno & altero elapso, in auras dissipata penitùs evanuit, méque ganglio integrè absolvit. Ita fortuitò à malo illo liberabar, quod omnia remedia affirmata, & in usum ante à me tracta eluserat. Zacutus Lusitanus, Medicus celeberrimus, in amicissimis suis literis, Amstelodamo ad me exaratis, aliud emplastrum commendat in hunc modum: *Ex multiplici præsidiorum sylvâ quæ Prisci, & Iuniores, contra hanc septemplicem*

cem hydram solerter excogitârunt, ut acerbos articulorum lenire possent dolores, ex frigidâ præsertim causâ contractos; hoc est fidissimum, si habitâ priùs de toto corpore providentiâ, eo peritus Medicus utatur: Præstans est emplastrum, si quod aliud: plures enim multis tentatis, liberari minimè potuerunt, donec hoc sunt usi. Dolores sedat ex frigiditate subortos, flatûs discutit, duritíes resolvit, tophos mirificè comminuit, partes roborat, fitque hoc modo:

℞. *picis naval.* ℔ ij.
resin.
colophon.
cer. an. ℔ ß.
Zingiber.
baccar. laur.
sulphur. viv.
anis.
croc.
absinth.
puleg.

sem. nasturt. an. ℥ ij.
pulver. rad. ebulor. ℥ ß.
cinamom.
caryophyll. an. ʒ j.
terebinth. q. s.

F. emplastrum s. a.

Quod si, postquam refrixerit (scribit porrò) *aliquâ ex parte, addideris argenti vivi* ℥ iij. *priùs extincti in salivâ humanâ, erit efficacius, & potentius: quoniam Mercurio inest vis maxima pro discutiendis nodis, duris emolliendis tumoribus, saxeis resolvendis tophis.* Hactenus Lusitanus. Emplastro huic non absimile est illud, quod ex libro manuscripto allegat Weckerus *lib.* v. *de secret. p.* 140. Notandum autem circa additamentum Mercurii in morbis arthriticis, quod iste unguentis adiectus, aliquando pessima excitârit symptomata, imò mortem ipsam accelerârit, quemadmodum

qua-

quatuor exemplis id confirmat Guilhelm. Fabricus *obſervat. Chirurgic. Centur.* III. *obſervat.* XCII. *p.* 400. & *Centur.* IV. *obſerv.* XXCII. *p.* 186. ubi unguento Mercuriali ab inſulſis empiricis inuncti, viribus ita exhauriebantur, ut paulò poſt vitam cum morte commutarent.

Unus etiam ex his, poſt gravia exantlata ſymptomata, ſphacelum incurrit, gingivas, genas, linguam, omneſque oris partes occupantem. Concludit itaque Fabricius, in articulorum doloribus inunctiones Mercuriales citra ingens periculum adhiberi non poſſe; vultque hoc nomine, ut Magiſtratus graviſſimè animadvertat in rupices & imperitos Chirurgos, qui in doloribus articulorum (*die kalte lähme* nominant) hydrargyro uſi, ægros crudeliter ex-

cruciant, & nonnunquam ad inferos detrudunt. Verùm enimverò in tumoribus arthriticis, cumprimis in podagrâ nodosâ, Mercurius ſimpliciter reiici non poteſt, & quod enormia ſemel atque iterum produxerit ſymptomata, id Chrirurgorum culpâ accidiſſe dicendum, qui Mercurium contaminatum, ſophiſticatum & impurum, tempore haut opportuno, adminiſtrârunt. Primò namque unguina illa mercuriata ab iis adhibita fuêre, corporibus vitioſo humore diffluentibus, hinc factum, ut vel lienteriæ patientem corriperent, vel humore ad ſuperiora propulſo, ferina ſymptomata cum internecino ſphacelo, faucium interiora, cæteraſque annexas corrumperent partes. Secundò cum Mercurii ingens ſit diverſitas, & alius ſit nativus, purus,

rus, ſpiritualibus Auri tincturis à naturâ imprægnatus, alius crudus, à naturâ ruditer & imperfectè elaboratus, ac heterogeneis qualitatibus commaculatus, vel etiam ex plumbo, & biſmuthi admiſtione conflatus, facilè contingere poteſt, ut dum hic ob pretii vilitatem à Chirurgis indoctis, cæco quaſi impetu, rapitur in uſum, propter gelidam & veneficam Saturni naturam, enormia ægroto accerſat ſymptomata. Quandoque in ipſis terræ viſceribus eiuſmodi vicinos habet Mercurius, à quibus in conſortium tractus, alienos ſæpenumerò induit mores. Sic biſmuthi, ſtibii & Saturni heterogeneis ſubſtantiis, in intimis terræ cavernis, inquinatur, ac morbidas acquirit virtutes, quæ niſi ſeparentur pyrotechniâ, corpori θανατώδεις eſſe

possunt. Circumspectè itaque agatur in adhibendo Mercurio, & talis eligatur, qui sit genuinus, purus, ex Istricis vel Hungaricis fodinis erutus, plumbariæ aut consimilis naturæ expers. Nec admisceatur hydrargyrus, in enodandis podagrorum tophis, pinguedini alicui, aut ungento liquidiori, cum hâc ratione, ob partium λεπτομέρειαν, & aëream substantiam, faciliùs corpus subire, penetralia illius perreptare, ac, humoribus ad Palladis ædem convocatis, λέρνων κακῶν ibidem concitare queat. Satius erit, purum Mercurium liparis & emplastris spissioribus addere, quibus tenacia miscentur bitumina, ut Mercurius hoc modo sufflaminatus & cohibitus quasi, exteriora saltem lambat, ac partes corrigat extumidas. Deinde nec talia em-

emplaſtra arthriticis admovenda ſunt, priuſquam corpora ab humorum ſqualore optumè fuerint depurata. Peſſimè itaque agunt ἄπειροι illi empirici, qui corporis exiguam, imò nullam habentes curam, ſtatim in principio, ad dolores arthriticos compeſcendos, χειριστεια ſua Mercuriata adhibent, atque ita ægros inter ſacrum & ſaxum locant. Quod ſi verò aliquis, ob Mercurii variantem ac diverſam indolem, emplaſtris his uti recuſet, is oleum Mercurii dulce, vel ſpiritum eius fragrantem, cum oleo ſalis ammoniaci fixi præparatum, partibus nodoſis affricet, qui & tutiùs & citiùs, gypſeam ac tartaream diſcutiet materiam, eamque diſſipabit, cum uniones ac Corallia aliàs Mercurialis iſte liquor levi negotio diſſolvere ſit potens.

Oleum etiam terebinthinæ, cum essentiâ mumiæ permistum, & impositum, podagram enodâre statuit Paracelsus, *tom.* VII. *lib.* I. *de rebus naturalib. cap.* I. *p.* 71. 72. Malagma quoque casei bubuli, vetustissimi, putris & vermiculosi, decocto suillæ pernæ, sale conditæ, vel etiam vino adusto, dissoluti, celebratissimum remedium est, quo de videatur Galenus *lib.* X. *de simpl. medicament. facult.* Ægineta *lib.* III. *de re Medicâ. cap.* LXXIIX. Aëtius *tetrabibl.* III. *sermon.* IV. *cap.* XLV. Oribasius *lib.* IX. *synopſ. cap.* LIX. Extolluntur quoque emplastra, ex avellanis nucibus, & cinabari confecta, à Tralliano *lib.* XI. & Ægineta *lib.* VII. *cap.* XVII. Celebrantur itidem luta quædam emollientia & resolventia balneorum naturalium, ut D. Petri, & D. Bartholomæi, apud Patavinos, quibus

manè

manè & veſperi per horam, vel amplius, calidè foventur pedes, mox ablutis cerota, vel unguina convenientia, affirmantur. Quæ inter locum etiam habet Cataplaſma, podagricorum nodis diſſipandis commodum:

℞. *ſtercor. caprin.*
farin. hord. an. ℔ ß.
aceti acerrim.
aquæ an. q. s. Coq. pro epithemate.

Pulticula hæc linteis inducta, calidè parti nodoſæ alligetur, nec auferatur eo, quo appoſita eſt die, niſi penitus exaruerit. Altero die unguento emolliente & reſolvente illinatur, & ab impoſitione emplaſtri libera quieſcat. Cerotum etiam tale uſurpari poteſt:

℞. *reſin. pin.* ℥ iij.
terebinth. ℥ ij.
lithargyr. aurei præparat. ℥ ij.

succ. tabac. ℥ vj.
cer. optim. ℥ iiij.
ol. myrtin. q. s. M.

Emplastrum Ducis Wurtembergici, & Iacobi Angliæ Regis, ut & alia superiùs tradita medicamenta, similiter commodè nodis enodandis adhiberi poterunt. Externa autem remedia ubi affirmantur, maximè proficuum esse censeo, ut podager interdum aliquid de pulvere Aronis assumat, vel consimile quid, quod iunctis viribus tophaceam materiam dissolvere, & expellere valet. Soluta partis unitas, si qua adest, adhibitis glutinantibus ac epuloticis ad σύμφυσιν deducenda est.

Sub-

SUBSEC. VII.

Victûs Regimen ſeu diæta.

CUrationi ſubnectitur diæta, quâ vehementer opus habet podager. Sæpiculè enim fit, ut ſolâ victûs ratione æger ſanus evadat, ſi ſcilicet ἀκριβῶς eam ſervet: quod ſi verò eam neglectui exponat, huic nec medicamenta præſcribenda, nec præſcripta multum proſunt. Hinc Galenus *de curand. ratione per venæ ſection. cap.* VII. rectiſſimè dixit: *Ei, qui rectam victûs rationem ſervare nequit, medicamēta præſcribere ſupervacaneum eſt.* Plato quoque *de Republ. dialog.* III. *mihi pag.* 120. ſcribit: Æſculapium haut curandum eſſe eum cenſuiſſe, qui non poſſet in conſtituto victu, ac regulâ vivere: imò ab Æſculapio ſeminatos filios

filios autumâsse subiungit, hominibus incontinentiâ morbosis, nec medicamina conferre, neque circa illos versari artem, neque esse curandos, etiamsi Midâ locupletiores essent. Accuratè itaque, quoad eius fieri potest, victûs regimen instituat æger; & quidem aërem eligat puriorem, ac temperatum, nisi ob febrem synocham, quæ podagræ quandoque sociatur, altiosam anhelet auram. Consueti cibi & potus dimidium circumcidat, ac victu tenuiore & simpliciore utatur. Ita Franciscus Pechius, articulari morbo graviter afflictus, postquam viginti annos turri inclusus, solâ aquâ & pane victitasset, doloribus podagricis integrè liberatus est, referente Francisco Alexandro, *in Apollinis radio primo in descript. Electuar. diacorall. p.* 159. Cibus autem sit

εὐχυ-

εὔχυλος, & facilis concoctu. E iuſculis conveniunt pullaſtrorum, pipionum, ac carnium bubularum iura: Cremor ptiſanæ, quem Horatius ὑποκορειστικῶς ptiſanarium videtur nominaſſe: iuſculum è brancâ urſinâ paratum, ac Poruſſis frequentatum, ubi hepar calidius, & ſanguis in corpore ferventior. Inter carnes apprimè uſui ſunt iuvenes ſubrumorum, id eſt, lactentium agnorum, hædorum, carnes menſtruatæ vitulorum, trimeſtres iuvencorum, vervecum anniculorum. Cuniculi quoque ac lepores ſimpliciter improbandi haut ſunt, quemadmodum Hieremias Thriverus *in Commentar. de victu, ab arthriticis morbis vindicante*, factitat, cum illorum Carò adeò craſſum ac melancholicum ſuccum vix gignat, qualem ille ſibi imaginatur, præſertim ſi ſint

ſint iuniores, nec annis obſiti. Ex volucrum genere perdicum caro eximia eſt, & podagro conveniens eſca: ideoque optandum, ut in his regionibus æquè eas domi aleremus, ac in Chio inſulâ, ubi ſibilo congregantur, & ovium more in campum ducuntur. Modum alendi ac cicurandi perdices, ex Buſbequio, *epiſtol.* 111. *p.* 164. ἀφορμητικῶς hûc adſcribam. Plena eſt Chios huiuſmodi avibus, ubi cum hominibus ſub iiſdem tectis hoſpitantur. Agreſtes penè ſinguli, plures paucioreſve nutriunt, ut cuiuſque fert animus aut res. Primo diluculo paſtor publicus eas ſibilo evocat, procurrunt catervatim, congreganturque in viâ: inde paſtorem, ut apud nos oves, ſecutæ procedunt in agrum, ibi totum diem apricantur, paſcunturque. Sub veſperam eodem ſigno revo-

revocatæ, facto agmine, domum, & ad nota cubilia se recipiunt. Hanc consuetudinem ita fieri memorant, statim, ut ovis exclusæ sunt, eas rustici in sinum intra indusium transferunt, & ita unâ die aut alterâ circumferentes fovent, & ori subinde admotas salivâ nutricant, quo beneficio devinctæ nutricios non obliviscuntur. Una tamen adhibenda cautio est, ne in agro pernoctent, id enim si semel atque iterum fiat, facilè ad naturam redeunt, vitæ libertatem humano contubernio præferentes. Vide etiam Mercatorem *in Atlante Minor. p.* 604. Præterea ex sylvestribus laudantur carnes, attagenum, turdorum, merularum, phasiani, gallinaginis sive rusticulæ (Græcis σκελόπαξ, nostris Schneppa appellatur, crediturque avis nullo foramine ad destercorandam al-

vum

vum à naturâ donata) galeritarum ac turdorum. Piſcium eſus ubi arridet podagro, in uſum trahat fundulos, gobiones fluviatiles, in rivis glareoſis deliteſcentes, melanuros, & lucios minores, parcè tamen, ne ventriculus oneretur, aut iis infrigidetur. Ex oleribus braſſicam foliis expanſis eligat, ut & herbam Gerhardi, ſeu podagrariam dictam, quæ maximoperè prodeſſe ſtatuitur. Acidario ſi delectetur, verno tempore illud fieri poterit, ex ſucculentâ ac eduli parte radicum Lappæ maioris, quale acidarium in ſuperiori Germaniâ quibuſdam in frequenti uſu eſt, diciturque radix hæc inſigniter iuvare podagros, ut etiam ex Foreſto *lib.* XX. *obſervat.* VII. *p.* 67. conſtat, ubi penſionarius quidam Mechlinenſis, ab epotâ cereviſiâ, in qua radix lappæ incocta

cta erat, lotium album, lactis inſtar, reddidiſſe, & ita evaſiſſe ſcribitur. Inter ova ex mente Galeni *lib.* III. *de alimentor. facult. cap.* XXII. τρομητὰ καὶ ῥοφητὰ tremula & ſorbilia commendantur: ἑφθὰ ſeu cocta, & βραδύπεπτα ſunt, & difficilis coctionis incuſantur. Omnium deterrima τηγανιστὰ, ſeu in ſartagine inſpiſſata: paulò meliora τὰ πνικτὰ ſeu ſuffocata. Inſuper nec ſint requieta, ſed nuper à gallinâ excluſa, & aſſumantur ab eo, cui nec hepar fervet, nec corpus febrili exæſtuat calore, aliàs facilè τὸ χολῶδες induunt. Pruna Damaſcena, & nana Hiſpanica acidodulcia, ut & ceraſa, ſive paſſa, ſive condita aliquando conveniunt, podagro cumprimis bilioſo. Panis ſecalicius, quo veſcitur æger, non ſit acerosus vehemen-

hementer, mucidus, aut à furno tepidus, sed purus, probè coctus, & fermentatus, nec nimis recens. Quæritur hic, *utrum panis triticeus podagrico sit concedendus?* Petræus *Nosol. Harmonicæ tom.* II. *dissertat.* XLIIX. *quæstion.* V. *p.* 463. triticeum panem difficilis coctionis arguit, sanguinemque gignere viscosum, & ad obstructiones excitandas aptissimum pronunciat. Hinc Beverovicius *de calcul. renum & vesic. cap.* XI. *p.* 153. à doctissimis viris non immeritò iudicatum esse scribit, unam ex præcipuis causam esse, cur ditiores & Magnates doloribus podagræ & Calculi obnoxii degant, quod pane vescantur similagineo. Reiecto itaque triticeo pane, hordeaceum commendant aliqui, statuuntque pedum morbo illos nequaquam tentari, qui

eo utuntur. Verùm enimverò etiamsi triticum, ob calidam & humidam suam indolem, glutinosæ viscositatis sit particeps, & reverâ pultes, itria, & huiusmodi eduliorum genera, ex tritico commolito & lacte parata, obstructiones pariant, panis tamen ex siligine (quam tritici delicias nominat Plinius *lib.* XIIX. *cap.* VIII.) confectus & probè fermentatus, improbandus haut est, cum fermentum & coctio superveniens corrigant id, quod aliàs in tritico crudo, aut minus dextrè cocto, accusatur. Quippe fermentum, massæ triticeæ adiectum, ὄγκωσιν ἢ ϖυδαλμάτωσιν procurat, noxiamque viscositatem aufert, id quod crassum est attenuans, ac viscidum rarefaciens. Fermentatio siquidem τῆς γλώδους ὑγρίας ὁμοῦ κίνησις ϗ ἀέρωσις rectissimè

mè dicitur. Inſuper furnus humiditatem, ſi qua eſt ſuperflua & vitioſa ipſius tritici, abſorbet, corrigitque, ita ut poſtea ab uſu panis triticei nequaquam ulla ſit metuenda noxa, ſcilicet ſi legitimè fuerit fermentatus, ac præparatus ſiligineus ille panis. Cumprimis ſenibus expetitus cibus eſt, ac pani ſecalicio præferendus, hi enim cum ſint frigidioris naturæ, eiuſmodi ὑπεκκαύμασι & eduliis reficiendi, ac ſuſtentandi, quæ languentem corporis calorem excitare, eique augmentum adferre poſſunt. Panem autem hordeaceum cur nonnulli tantoperè commendent podagroſis, cauſam non video. Frigidioris naturæ eſt hordeum, & minus alimenti ſuppeditat, quàm ſecale aut triticum. Cereviſiam claram, haut feculen-

tam, & à Zythepsâ lupo salictario modicè conditam bibat, fugiat verò crassam, & ex degenere frumento paratam. Haustum quoque promulsidis ægro expetenti quandoque indulgere fas est, potissimum istius, quæ ex virgineo melle cocta tenuior est, & *Lippitz* nostratibus nuncupatur. Vinum tàm edentulum, quàm recens, detestetur, & si gulæ adblandiri velit, mallem ut *ὑδροποτῶν* ageret, aquam cinamomi pauxillo conditam, & syrupo acetositatis citri dulcoratam assumendo, corpore præsertim febriliter disposito. Nec attendendum hîc est iudicium Iohan. Baptistæ Confalonerii, qui *lib.* II. *de Vini natura cap.* IX. *p.* 42. opinatur, homines vino carentes, efferatos & immites esse, quasi ab humanis moribus, victuque

que

que degeneres. Ignoravit vir iste cerevisiæ bonitatem, eiusque nutriendi facultatem, quâ in compluribus locis, nec crassa nimis, nec nimiùm tenuis, instructa est, ideoque homines efferatos haud reddit, veluti vinum, quod, teste Horatio, etiam pauperi addit cornua, & sapientes quandoque insigniter dementat, iuxta illud: οἶνος καὶ φρονέοντας ἐς ἀφροσύνην ἀναβάλλει. Venus compedibus constringatur, cum fœcunda huius morbi mater sit, cum Libero in συνουσίᾳ degens. Alvus cottidie exoneretur, & si officii sit immemor, intruso suppositorio (non intelligo tale, quale olim Eduardo II. Anglorum Regi, in carcerem coniecto, suasu Isabellæ Uxoris & Eduardi filii, admotum fuit, qui transmisso in

anum

anum per fistulam corneam ferro calido, funestè periit, nullo exteriùs mortis apparente indicio) aut clystere admoneatur. Poterit etiam æger terebinthinam Venetam, aquâ betonicæ lotam, subigere cum saccharo, addito pulvere chamæpith. & postea pilulam unam vel alteram, nucis quantitate, ex massulâ formatam, deglutire. Terebinthina enim, docente Galeno *lib.* v. *de tuend. sanitate*, *cap.* IX. sumpta aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum triumve, non modo alvum solvere citra noxam potest, sed etiam viscera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonemque abstergere valet. Hinc Monachus quidam, cum articulario ac nephritico dolore sæpiùs affligi solitus esset, & nullo remediorum

genere ſanitatem recuperare poſſet, tandem ſuaſu Amati Luſitani, ſingulis diebus terebinthinam, ſaccharo miſtam, iuglandis magnitudine ingeſſit, & ita ſex menſium ſpatio integrè convaluit, *Centur.* II. *curation.* LXIIX. Animi παθήματα impetuoſiora eliminentur, gaudio verò, iocis ac concentibus opera detur. Ferunt namque Iſmeniam, Thebanum tibicinem multos iſchiadicos (ut videre eſt apud Ælianum in Agellii acceſſione) modulandi ſuavitate reſtituiſſe. Confabulatio iucunda dolores etiam nonnihil ſopit, refertque Ioſephus Scaliger *epiſt.* I. *pag.* 47. Iulium parentem negâſſe, quod ſibi res ſit cum podagrâ, quoties eiuſmodi convivas (intellige Buchananum, Muretum, Tevium) haberet, quibuſ-

buscum de literis loqui posset. Nam quemadmodú venereis claudi, dolis gibbi, fraude strabi, promptitudine & consilii celeritate calvi delectantur & valent, sic podagrosi iocis & salibus literariis. Facultatem quippe sensitivam tàm colloquia amica, quàm concentûs iucundi à cognitione obiecti dolorifici abstrahunt, & hâc ratione dolorem sedant, non secus ac nutrices uberum papillâ, ori puerorum insertâ, eorum dolori succurrere consueverunt. Et hæc de victûs ratione proletariè, & desultoriâ operâ dicta sufficiant.

ARCHIATER Summe Deus, qui verè ἄλγομα ποδαγρῶν κοῦφον, ἐλαφρὸν, ἄδειμον, βραχυβλαβὲς, ἀνώδυνον εὔφορον, εὔληπτον, ὀλιγογρανὲς, ἀπερίπατον reddere potes, naturæ administros felicita, ut hi quoque

 ma-

malum hoc averruncare, ac fundi-
tùs evertere diſcant.

تَمَّتْ وَٱلْحَمْدُ

لِلَّهِ

HIE-

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS, civisque Bononiensis Medici

PODAGRÆ *Encomium.*

HIERONYMI CARDANI

PODAGRÆ

Encomium.

INgrati hominis officium nedum immemoris eſſe exiſtimarem, ſi vel eorum, quorum beneficio profecerim, oblivíſcerer, aut ſi beneficii memor quibuſvis modis poſſem gratias non referrem. Nec quærendum puto in gratiâ compenſandâ, quis auctor fuerit beneficii, nec quo animo id contulerit in te, ſed quantum per id profeceris: Et quàm libenter fuerit impertitus. Nam de animo quid quæras, cum vultum, promptitudinem hilaritatemque dantis conſpexeris?

animum quidem ſolis Diis notum eſſe tàm Philoſophi quàm Theologi conſtanter affirmant. Quòd ſi coniecturis agendum ſit, non niſi bono animo proficiſci beneficia credendum eſt: atque eo magis, cum qui dat, in plures alios fuerit munificus: ſi rogatus ægrè dederit, ſi nemini non roganti dare voluerit, exiſtimandum eſt parum liberali animo dare voluiſſe. Quod ad perſonam attinet, nemo ut dici ſolet, bonus eſt omnibus niſi Deus. Cæteri quibuſdam ſunt boni, pluribus plerumque mali, at contra podagra pleriſque bona, paucis mala eſt & gravis, tùm verò liberalis atque munifica, ſponteque accedit ad homines, quo fit, ut cum nemo ſimpliciter dici poſſit bonus aut malus, ſed in collatione muneris talis ſit habendus, podagra omni ratione bona dici debeat. Et

cum malos eos credere ſoleamus, qui primâ fronte iucunda offerunt, tegunt quæ nocent, & hoc nomine rurſus laudanda illa venit, quæ ſub mali ſpecie nos aggreditur, quicquid tegit, quicquid latitat ſub veſte bonum eſt atque commodum. Non eo laudare velim podagram, quo cætera ſolent laudari mala mortalium, tanquam his ipſis iuſtæ ab illis exigantur pænæ. Sic enim & mors, & morbi & tyranni laudari ſolent, ſed non eſt hæc illorum laus, verùm potiùs accuſatio mortalis generis. Sint homines ſuo arbitrio ingrati, ſceleſti, impii, ſævi, avari, iniuſti, & omninò improbi, nil ad laudem podagræ tàm turpis & abominada cauſa prodeſſe poteſt. Non probabo pœnam, quam odero, & quam, ſi ego etiam immeritò ſubirem, ex eorum tamen genere ſum, qui eam ſubiêrunt.

runt. Non eſt hoc augmentum paradoxum, non oſtentatio facundiæ aut ingenii, quorum unum in me minus eſt, quàm mediocre, alteri conſcius ſum nunquam operam navaſſe. Malè laudantur ea, quæ iuſtè laudari non queunt, Velut ſtultitia, Calvitium, Quartana, in quibus quantò plus elucet Rhetoris eloquentia, eò in argumento levitas maior deprehenditur: Oratio inanis & undique fides ac veritas hiſtoriæ deſideratur. Eſt podagra, quæ ſe ab initio oſtendit ac probat, adeò ut ſine verecundiâ prætermitti laus eius non poſſit, dubiumque facit, an honeſtius ac præſtantius ſit de illâ verba facere, an turpius & iniquius illaudatam cùm tot meritis tantâque gloriâ ſinere. Quod ſi nihil eſſet mali, quod dignum laude foret; certè podagram laudare non auderem:

nunc video tot esse mala laude digna, ut laudare podagram illis omnibus multò mitiorem turpe videri non possit. Etenim menses, qui fluunt mulieribus fœdi, & à quibus illæ adeò conflictantur, partus, dentium ortus, veneranda canities, omnia mala sunt ἐξανθήματα καὶ ἑλκώδη. & tamen quod plures ab illis benè se habent, laudem merentur. Obiicies quod hi ex ordine naturæ sunt, podagra morbus, qui casu advenit, At nec familiaria adeò exanthemata ea illa rubra rotunda, parva, varis similia olim fuisse, credo, quæ à solis Arabibus sint descripta. Quæ nunc Variolas à Varis vulgus appellat, & morbillos nescio quâ ratione, & tamen his purgari sanguinem & meliorem fieri corporis habitum constat. Sunt timores, sunt dolores, qui nos cōmonefaciunt vitę melius

traducendæ. Deflorata virgo dolet, hoc casu accidit, & tamen laude dignum habetur. Si nulla est imbecillitas, si nullus est dolor bonus laudandusque, non inficior podagram non esse laudandam sed postquam tota vita nostra voluptatem habet in dolore repositam, edendi in fame, bibendi in siti, venereorum in pruritu, iam hoc credo me obtinuisse, non esse toto genere podagram illaudabilem, admittique iure posse, ut partes etiam illa suas tueatur. Non invenit ad hanc usque diem, qui illam laudaverit? an ob id laudari non meretur, etiamsi à nemine laudata sit? Quot res, quot viri illustres præcone caruerunt? Quot morbi mala insaniæ in contemptum bonorum laudata sunt? Nulla pestis ἐγκωμιαστικῷ suo caruit. An ideò augenda esset iniuria, quia facta sit?

Quan-

Quanquam nec defuerit egregius laudator, & qui etiam Deos Deaſque laudare conſueverit. Lucianus ille Samoſathenſis, vir acer, magnæque eruditionis, cuius exemplo moveor, non æmulatione ducor. Etenim velut in omnibus rebus egregiis, nullus orator tàm oculatus eſſe poteſt, tàm præclarâ arte inſtructus, ut rei dignitatem facundiâ æquare poſſit, ita in laudando podagram ſemper aliquid deeſſe neceſſe eſt, tum verò id magis cõtingit, quod rarò oratores aut ſperant in arduis, aut ſtudium in humilibus rebus adhibent. Neque enim vel nos hanc provinciam aggredimur, quod pares laudes pro dignitate eius dicere poſſe ſperemus, ſed quod noſtris laboribus facundiores ad hoc munus incitari debere credamus. Unumquemque enim in certamen voco, non vi-

ctoriæ ſpe, ſed ut victus ſæpè gloriari poſſim tanti certaminis, tàm laudabilis operæ auctor fuiſſe. Utinam reviviſcerent illi Cicerones, Hortenſii, Cottæ, Corvini, negotium pro dignitate ſuſcepturi & ſplendidè illuſtraturi. Etenim plurimum refert in rebus etiam pulcherrimis quomodo quidque dicatur, ornetur, amplificetur, aut excidat & propriis laudibus fraudetur? Nihil eſt tàm præſtans, quod vitio orationis contemptum non evadat, imò odioſum. Optabat Alexander Magnus Homerùm laudatorem, maiorque etiam nunc gloria eſt Ulyſſis atque Achillis, qui parvis in oppidis imperârunt, qui cum totâ Græciâ vix decem in annis urbe unâ potiti ſunt, quam ipſiùs Alexandri, qui in totidem annis ſolus orbem totum occupavit. Ergò ſi non pro magni-
tudine

tudine aut dignitate laudem podagræ tractavero, meritò illa doleat, quæ tàm ſiccum & frigidum laudatorem, omniſque facundiæ expertem malo Fato ſuo nacta ſit, illi non imputetur, cuius voces quotidiè ad aſtra uſque feruntur. Verum ne amplius ipſam rem differam, eius hiſtoriam narrare ſimpliciter decrevi. Nam

Ornari res ipſa negat contenta doceri.

Omnes fatentur illam inter ſuas contribules principatum tenere, dico chiragram, arthritim, iſchiam, mentagram. Ut quod ad nobilitatem attinet omnium illa ſit præſtantiſſima. Quid dicam illius affines Nephritim, colum, regiumque morbum & ſocios febrem, abſceſsûs, omnium hæc dux eſt, atque ad illam omnes referunt. Nemo podagricùm arthritide aut chiragrâ

aut

aut coxendice teneri dicet, at ſi quis horum uno laboraverit, podagrâ laborare illum dicunt. Quinimo quotquot morbi leves artûs occupaverint, ut nobilitentur, nomen podagræ ſibi aſſument, tametſi ab illâ plurimum degenerent. Adeò nobile eſt atque vulgatum hoc nomen, ut & ægri patiendo, & medici curando eo ſe nobilitari putent. Neque verò ambitioſo illa nomine delectata eſt. Non ſe cephaleam aut cardialgiam vel ophtalmiam nuncupavit, nec turpi etiam nomine coinquinata eſt, quemadmodum mariſcæ, fici, hæmorrhoides, teneſmi, à pedum nomine ſuum traxit humillimâ corporis parte, ſed non ſordidâ, neque turpi aut fœdâ. De antiquitate nulli non nota medico, & multò ante Hippocratem, atque uſque à Troianis temporibus no-

mine nobilitata suo, quod adhuc è Græciâ ipsa retinet, non quod latini pudeat, sed quod antiquo magis gaudeat; argumentum constantiæ suæ, libertatem & ingenuitatem semper professa, apertè invadit, vi quod vult obtinet, nulli insidias molitur. Et cum maximis doloribus homines premat, neminem tamen occîdit aut convellit. Quin etiam in ipsis doloribus risum movet. Ea sola spernit medicinam, ut Poëta:

Solvere nodosam nescit medicina podagram.

Quinimo bellum indixit medicis, multos etiam eorum conflictavit graviter. Unguenta spernit, medicamenta negligit, emplastris irritatur, fomentis sævior fit, nullum medicinæ argumentum timet: recedit atque accedit, cum vult, melius arbitrio subiecta. Non amuletis

aut præcantationibus ullis pellitur, imò ne divôrum quidem penè supplicationibus. Solus Deus eam depellere poteſt. Generoſi animi res, quæ imbellem non fatigat ætatem, nec pueros, nec ſenes ultimos, nec mulieres, aut ſpadones, quicquid floret, quicquid robuſtum eſt, aggreditur ac evertit: oſſa ipſa loco movet, debilitat robuſtiſſimos, nervos & vincula quatit, iuvenes ſolos proſternit, non minis terretur, non machinis pellitur, non blanditiis delinitur. Quos invadere propoſuit, invadit, quibus infenſa non eſt, ab his perpetuò abſtinet. Simili gloriâ cum Regibus, Cæſaribus, Pontificibus, potentibuſque iuris ac ſapientibus, ut vulgus exiſtimat, pugnam init, Pauperes ruſticoſque relinquit. Ingreditur aulas Principum: Et eos, qui proprias uxores filioſque faſtidiunt, ille rabida aggre-

aggreditur, diesque ac noctes illis quantumcunque invitis cum eis versatur. Depulsisque charissimis pignoribus veteribusque famulis,

Dormit & in plumâ purpureoque thoro.

Unguenta sentit, cantûs & citharas audit, mollia strata, pulvini sericei, inter aurum, gemmas, & pictas tabellas superba decumbit: Audit fabellas, degustat vina generosa, delicatioresque cibos, afferuntur interim flores gratiosi, vestes variegatæ, & quicquid ambitiosum à civibus, vel ipsis Regibus multorum spatio annorum congestum est. Quod si vera omninò sunt, quæ de Telchinibus lascivis Dæmonibus Platonici fabulantur, quos ferunt in hominum corpora tranferri, solos eos beatos esse crediderim, qui cum podagrâ ipsa domicilia corporum humanorum ingrediuntur. Namque

cum

cum Venere & Baccho & delicatioribus dapibus perpetuum fœdus contraxit: adeoque beata eſt, ut qui eâ detinentur, præter dolorē ipſum beatam vitam ducere cogantur, neque enim illa ſteriles efficit, ſed ad Venerem acriores reddit. Verum ad Philoſophos venio, Arceſilaus ex eius fuit domeſticis, tum Lycon Tharcenſis aliique, ut non credas podagram etiam non philoſophari. Noſtrâ ætate vir magnæ eruditionis Eraſmus è cubili podagræ quicquid legi meretur, exprompſit. Sanior longè in morbo quàm in bonâ valetudine. Quot pulcherrima monumenta eruditorum virorum Podagræ debemus? Sani operam damus negotiis, & ſi quid exit temerè effutitur, ægri ſtudiis ac contemplationi. Et quid emiſſum tunc fuerit, lucernam ſapit, & modeſtum eſt atque caſtum. Sed hæc mittamus:

de potentiâ agamus, quæ in illâ maxima est. Sola enim podagra totum invadit hominem. Primum quidem pedes aggreditur, inde manûs, genua, cubitos, suras, humores, dorsum, collum, mandibulas, denique etiam dentes. Sed neque linguæ parcit. Et sunt quibus nasum invasit atque distorsit: adeo in omnes corporis partes dominatur. Quid ergo huic simile? Febris universum corpus apprehendit, elephantiasisque, tum hydrops atque icterus morbus. sed universim dominantur? sola podagra in singula membra imperium habet. Quid quod exossat homines, enervat, excarnificat, contorquet crura, manûsque mirum in modum, medullas depascitur, gibbos, alios repandos efficit. Ut verè sola nostri regina corporis dici possit. Sed mirum quiddam audi de illâ. Intellexerat medicos quosdam haud gre-

garios scripsisse, posse eam hermodactylis atque Corallio depelli. Irata statim, nescio quâ arte, seu casu, ac bonâ ei fortunâ contigerit, hos inimicos hostesque suos ita eliminavit ex orbe, ut sola nomina eorum nobis reliquerit. Et coronopum quidem seu corallium audiunt omnes & hermodactylum, sed quid sint nemo docere potest. Neque illum laudârim, qui cum multis cucurbitulis languentes in balneo benè olentium herbarum positos excarnificabat: cum plus esset in medicinâ incommodi, quàm in morbo ipso. Quid profuit Agrippæ aceti fervidi balneum, quo simul levatus est dolore ac pedum usu? Quid Cæsari nostro medicamentum illud ficulneum ac quasi superstitiosum è nigræ capræ sero cum ficûs lacte? Nonne præter id quod nihil contulit, velut & reliqua omnia, quæ il-

lam arcêre solent auxilia, vitam efficit breviorem, atque tenuiores omninò illius vires? Quid fontes, quos seu casu seu voluntate concluseris, brevi mortem afferunt. Qui ligni sancti decoctione, qui sarzæ Pariliæ, quique Thermarum aquis gloriantur, annos numerent, quibus vel curati vitam sanam degant, aut superfuêre incolumes, non est depellere morbum mitem, ut lethalem excipias. Quid modo de me factura sit nescio, quod eam depellere me posse iactaverim, forsan enim aut contemnet, aut non curabit, postquam id præsidium adeò, in paucis experior, ut propter meipsũ solum illud invenisse videar. Et si modo adversum me seviat, non iure id egerit, quandoquidem eam solum relegare quæsierim, non exturbare perpetuò è domo, nec alios docuerim. Irata sanè meritò fuit Guilielmo

lielmo Budeo, qui cum eam publicè conatus ſit docere eliminare, ipſum auctorem ita concuſſit, ut nil integrum ei reliquerit. Sed aliud eſt tueri partes ſuas, ſuaque commoda procurare, aliud iactantię causâ, aut ſpe lucri alios, ut id facere poſſint docere: Aliud eſt infeſtum hoſpitem aliquamdiu detinere; ne adeò frequenter nos moleſtiâ afficiat, varius vexet, aliud omninò è domo pellere, & prorſus hoſpitio interdicere. At fortes viros forſan aggredi non auſa eſt. Nil minus, vidimus ætate noſtrâ Antonium Levam, Alphoriſumque Avalum, duo belli fulmina ſingulari prudentiâ fortitudinéque, tot claris geſtis, ſic ab illâ obſeſſos, ut homines intelligerent, eam nihil inacceſſum relinquere. Et fulminum Iovis exemplo ardua quæque petere, cõcutere quaſſareque. Quid aliud fuiſſe credendum eſt, quod Hercu-

Herculem domuit, licet Poëtæ ulcera fuisse dictitent. Neque enim voces illas adeò iratas protulisset, si malum in carnibus non venis atque artubus fuisset. Sed omittamus dubia, quandoquidem propriis ac certis laudibus podagra contenta sit. Etenim sufficiat unum pro multis exemplum in Severo Imperatore, qui cum fortissimus omnium fuerit, orbemque occupârit, ita ab eâ victus est, ut perpetuo decumberet, & cui totus parebat orbis, is ipse podagræ serviebat, nec illa se vinci passa, nec is victus destitit esse terribilis. Hoc tamen ob id solum dixerim, quod sciam nullum eculeum, nullasque fediculas tantis doloribus hominem afficere posse, laminantur, trahuntur, distorquentur, punguntur, lacerantur, franguntur, eroduntur artûs eorum, qui podagrâ correpti sunt: nullum maius suppli-

cium, quod tàm diuturnum ac grave ſit, Deos aut inferos tyrannos inferre poſſe crediderim, quàm ſint podagrę dolores. Ceſſant ut gravius afficiant, intermittunt ut maiori impetu invadant: mitigãtur ut carnes quaſi ſanæ uberius excipiant malum, reſtaurantur ægri ut diutius ad pænam ſufficiant. Nec tamen quenquam perimit, ne miniſtra alterius ſcilicet mortis videatur, exiguus coli aut ſtomachi dolor interficit, quia hi mortis miniſtri ſunt; at podagra ſui iuris eſt ſola, nec ulli paret, ſed potius alii morbi obediunt ei. Etenim ubi illa fuerit omnes alios depellit morbos, nec patitur corpus ſibi addictum, ſuæ ditioni ſubiectum alteri parêre aut quenquam admittere. Quot aliis ſæviſſimis morbis ad vitæ deſperationem laborantes, illius adventu ſanati ſunt? Quid de illius pudicitiâ

atque iustitiâ, quæ cum universum ut dixi invadat corpus singulaque membra, nunquam tamen adeò irata est, & sui oblita pudoris, ut pudenda virum, aut fæminarum, aut anum aggrederetur? Abstinet & à temperatis, cum à nullo alio hominum genere, seu sapientibus, seu fortibus, seu opulentis, ne nomen temulentiæ subeat aut procacis. Simili constantiâ à pauperibus abstinet, ne crudelis videatur, quæ victum miseris eriperet. Ergò iusta, mitis, fortis, sapiens, pudica, generosa est podagra, seu contemptu eorum, quos non invadit, seu dignitate illorum quos subigit. Visa est etiam mihi aliquando è genere Flaminum Dialium, quibus cum ad mortuos ingredi veteri instituto non liceret, huic nec ad mortuos nec ad morituros. Quod si cuique infensa, perdere illum statuat, ab-

ſcedit traditque febri, aut orthopneæ, aut attonito morbo iugulandos. Similique ratione irata quibuſdam, qui eã depellere tentârunt, abſcedens febri doloribuſq; ventriculi mandavit occidendos. Non illa turpis aut abominanda quemadmodum lepræ ſcabies, Indicuſque morbus, non contagioſa ut phthiſis, peſtis, ophtalmia, ſed ad eam ſecurè ut vadant amici, permittit: nunquam illa nos ut cæteri morbi clanculum adoritur, aut nobis neſcientibus. Ea nihil etiam fædum aut moleſtum ſecum ducit, non ſaniem, aut ulcera, aut tuſſim, vel vomitûs, aut alvi profluvia, tota munda eſt, & ſeipſa contenta. Quin etiam unumquemque pro menſurâ debitâ præmit. Validos vehementer ac diu, imbecilles, parum ac brevi tempore affligit. Forſan obiicies, vilem eſſe podagram quod etiam

Ca-

Canibus, iumentis, capis, avibusq; plerisque in otio detentis, aut ultra modum saginatis adveniat. Unde etiam, qui eas aves edunt, proniores sunt ad podagræ morbum subeundum. Sed non est hæc podagra, quæ dolores certè nullos aut perexiguos excitet, cuius indicio est quod nec queruntur, nec clamant. Sed simile quippiam, nam omnibus rebus egregiis natura simile quid excogitavit, homini simiam, equo hippocampum, sunt & uvæ in vitibus & in mari, ut etiam in Epigrammate Boussueti:

Vva marina semel vino permista bibenti
Fertur magnum odium inducere posse meri.

Iam verò quantum affert commodi podagra, atque primum nobilitatis opinionem, namque & si constet eum, qui illam patitur, esse rustici

filium, id coniecturâ omnes assequuntur, falsò creditum illius esse filium, sed nobilis ac præpotentis viri, spurioque genitum concubitu. Tum verò magis, quod morbus is sit hæreditarius. Cupiatque podagra suos descendentes agnoscere. Cum verò podagrosus in aulam venit, suspicitur ab omnibus, etiã si sit nebulo. Habet enim nescio quid regium podagra, sedet cum alii stant, & equitat cum alii pedibus ambulant. Vidi Maximianũ Stampam in mulâ ambulantem, cui à pedibus erat Alfonsus Avalus Princeps, quia tum is valebat, illum podagra detinebat. Quot sedent huius beneficio apud principes, alioquin eo prorsus indigni honore? Videas amicos, qui accedunt, quantâ cum modestiâ se gerant? dicas assidere illos Cæsari aut Pontifici, quantâ cum reverentiâ tractent; tan-

tangant ægrotantes & interrogent? Quid de domesticis? non adeò leniter tonsor novaculam ducit. Si quis tibi rusticus & agrestis incomptusque familiaris adsit, podagroso adiiciatur, ut serviat, habebis per quã frugi comptisque moribus omnia tractantem bellè ac leviusculè, dicas ælurum super plumam. Cogita quæ domicilia sibi elegerit, quomodo inhabitet? non nisi alta palatia prætoriasque domos læta vivit inter amicos & voluptates. Si quis ab amicis negligitur aut eum tanquam asperiorem refugiunt, ubi podagra invaserit, iam omnes accurrunt. Si qui morbi eis iungantur, febris, vigiliæ, dolores alii, ea omnium sibi vendicat locum. Quid habet interrogantibus? respondent, podagrâ laborat, adeò podagræ nomen notum omnibus est celebre atque illustre. Sed qualem hominem

facit podagra? Pium, castum, continentem, prudentem, vigilem, & si quando dormit, non ut reliqui morbi turbulenta facit insomnia. Nemo tam Deorum est memor, quàm qui à podagræ doloribus detinetur: qui podagram patitur, oblivisci non potest, quod cæteris omnibus ferè contingit, se esse mortalem: à vino, carnibus, reliquisque eduliis, à crapulâ, à Venere tantum abstinet, quantũ putat se posse esse securum: Avertit à principe nostri particulâ cerebro scilicet, ac sensibus, & mente omnes pravas cogitationes, vanas spes, superfluos timores, incerta studia, non permittit in vanũ opes, profundere, cogitque vel invitos commodè, lautè & splendidè etiam vivere. Quanta verò commoda ex huiusmodi moderatione? quin etiam, cum desperent ad alios accedere posse, ut hi ad ipsos accedant,

dant, fiunt mitiores, comes, blandi, manſueti, diſcuntque tractationem cum hominibus, nec ulli alii prudentiores podagroſis habentur. Quinimò eis committi ſolent Reipublicæ habenæ: habenturque conſilia illorum matura, prudentia, atque tuta. Ut quorum mens nullis fluctibus agitetur, corpus à motibus quieſcat, & anima ſuperfluis cibis aut potibus minimè ſit impedita. Iam verò & illius peculiaria explicemus dona (tria autem ſunt præcipua) lapidem in veſicâ, generari prohibet, & pulmonem ulcere affici, præterea eum efficit vini guſtum, ut nemo melius vinorum percipiat ſuavitatem, quàm podagroſus. Mortem præterea leniſſimam, & ſomno ſimillimam parit, ſi cui à podagrâ ſuccedente morbo mori contingat. Quid cum remittit ſe quales ſomni, quàm dulces, qualis

indolentia & pruritus circa locum, parum à venereâ distans voluptate? Hæc sola nos admonet studiis incumbendum, quandoquidem ea sola dulcedo dolorum interventu abrumpi nequeat. Sed præter ipsam sociorum iucunditatem, quæ in omni morbo exigi solet, peculiari naturâ movet & amicos & ægrotos, ut iocis ac salibus plus delectentur, ac valeant, ut venereis claudi, dolis gibbi, fraude strabi, promptitudine & consilii celeritate calvi, ut ridicula sit horum conversatio. Addamne & illud, quod podagrici motûs lunæ melius Astrologis nôrint, temporumque mutationes certius nautis. Hæc atque alia plura ac præstantiora de podagræ laudibus verè dici possunt. Sed video quid contra possis obiicere, quod morbus tamen sit: atque quod melius omninò

ninò ſit, ut etiam de cæteris, non habere quàm habere: Atque hoc eſt, quod plerique iactant; pauculiſque incomptis verbis tantam gloriam interturbare atque confundere poſſe ſperant. Sed ſi modo ex hoc ipſo maximè oſtendero illius præſtantiam ac laudem, haud dubito, convictos fore illos, qui quovis nomine non dignam fore exiſtimabunt. Principio damnas eam quod morbus ſit, quaſi non tota vita noſtra morbus ſit aliquantò deterior, quàm podagra. Nam ſi morbum vocas ſolum dolorem, certè podagra morbus erit, reliquum vitæ non ita morbo laborare dici poteſt; at ſi morbum dixeris animi corporiſque languorem, ſecus longè. Nam nunquam minus morbo laboramus, quàm cum podagra nos affligit. Morbus eſt ſtultitia, voluptas, oblivio condi-

tionis nostræ, iracundia, odium, dolor, quibus nos ipsos nostrosque levi vel nullâ causâ evertimus. At non morbus est melancholia? & tamen hâc ipsâ laborasse pluresque sapientes viros atque præstantes auctor est Aristoteles. Quid Poëtæ, Vates, Sibyllæ? nonne omnes morbo laborârunt? & quamdiu in pretio fuerunt, eò magis conflictati sunt, quapropter & paucis ex his longâ vitâ perfrui contigit. Melancholicus fuit Virgilius, insanus Lucretius, stultus Naso, ebrius Horatius: quid tot commemorem? cum omnes insanierint brevisque vitæ fuerint. Si quid est in nobis divinum, iam maximè detegitur in morbis: tunc enim futura prævidemus, prudenter negotia disponimus, atque à perturbationibus animi liberi sumus. Podagra si temperantiæ iuncta sit, sen-

sûs reddit vegetos, firmam memoriam, ſucculentũ corpus, valetudinem ſinceram, vitam longam, guſtum purum, ſomnum tranquillum, animam ſuavem, lætas cogitationes, promptam ad ſtudia ſapientiæ mentem : nam cum alii morbi ſolent illam interturbare, ſola podagra adauget & exacuit. Hoc verò illa habet præcipuum & incomparabile donum, quod ſola animum contendat iam aſſuetum obniti adverſus corporis acerbiſſimos dolores, unde viget illius maxima fortitudo atque conſtantia ac robur, quo corpus adverſus cætera incommoda omnia regat ac gubernet. Nam, de illo ſolum quereris, poſtquam de animi languore plus ſatis dictum eſt. at querebatur Plato, nimis ſe frui bonâ valetudine, niſi enim ægro iam corpore animo valere non poteſt, ſed ſit, ut dixi,

xi, contemptus animi, quærantur solum corporis bona, quantum tibi adimit podagra temporis? quantum te impedit à negotiis? certè si temperanter vivere velis, parum aut nihil exigit: labores inanes & curas graves, ut si serviendum sit tumultuosæ Reipubl. si gravi principi & moroso, si imprudenti amico, unde nam melius sumitur excusatio, quàm à Podagrâ? habet podagrosus maximam temporis partem in suâ potestate, nulla honestior excusatio laboris, quàm à podagrâ, & si res tua agitur, deseruit te dolor dicis. Sed hæc mittamus, & de morbo agamus: quis est, qui si in podagram non incidat, deteriore morbo non laboret? si oculo, qualis molestia? quale periculum? quantum impedimenti? si aure, periclitaris de vitâ, de auditu: si dente, nec dormire nec edere potes:

tes: si tussi, periclitaris de sputo sanguinis: si scabie, fædus es, omnes consuetudinem tuam fugiunt: si febre certas de vita: si coli vel ventriculi dolore, præter id quod molestissima sunt, magno in discrimine versaris. Nephritis acerbissimos habet dolores, & periculum vitæ affert, regius morbus hydropem, hydrops mortem parit. Cordis palpitatio similis est pœnæ infernorum, coxendicis dolor podagræ doloribus non minor est, claudosque reddit: comitialis ad singula momenta horrendus, & non sine vitæ discrimine: hernia nunquam sanatur, nunquam fideliter intermittit. Quid est ergò, quod optare possis magis, quàm podagrã, si non speres te perpetuo futurũ incolumẽ? quæ spes quàm fallax sit, intelliges facilè, si singulorum vitam inquiras, qui vel qradragesimum

ſimum annum exceſſerint, quotusquiſque enim ſine labe deterrima eſt? ſed latent talia præter medicos. Ob id plurimi immunes à morbi labe populi judicio ſunt, verè autem quàm pauciſſimi. Itaque cum ea conditione nati ſimus, ut aliquid pati neceſſe ſit, nec morborum ullus mundior, mitior, ſecurior, facilior, animæ vires adeò augeat, mores exornet, nullis commodis afficiat vitam aut dignitatem aut opes, propterea meritò Encomium illi diximus, debitaſque ei laudes tribuimus. Quod ſi quis malevolus calumniator objiciat, quorſum hæc? laudare rem fœdam, abominandam, morbumque diuturnum atque inſanabilem? idque non niſi oſtentandæ facundiæ vel ingenii factum putet: quando quidem non res una ſit podagra, non Dea, non naturale
quid-

quidquam, ſed è genere læſionum, dolorum, moleſtiarum, defectuum, is ſanè decipietur: quandoquidem licet accidens ſit, ac privatio quædam, nihilominus res eſt, non ſimplex defectio, quæ cum homini advenerit, ſcire præſtat bono potius fato, quàm malo adventaſſe, optimumque eſſe in humanis, his quæ nocere ſolent, commodè uti ſcire, ſicut peſſimum his, quæ bona ſunt abuti. Eſt ſignum, eſt cauſa bonorum multorum, atque ſi ab effectu & exitu res penſandæ ſunt, talis ut comparem in humanis non habeat. Nam præter reliqua quæ iam dicta ſunt, quot caſibus illa nos violentis eximit? Nuper apparuit in Andreâ Dauriâ, Genuenſis Cæſareæ claſſis præfecto, quem cum per proditionem Ioh. Aloiſius Iliſcus convivio exceptum occidere decreviſſet, podagræ doloribus ſævien-

vientibus ad convivium non acceſſit, inde imminentem cædem evaſit. Quotquot annis ſupervixit, fuêre autem circiter tredecim beneficio podagræ debentur, tum geſta eo toto tempore. Atquàm multis aliis mortalibus ſalus fuit podagra, ut ſe ab inſidiis atque imminentibus periculis tuerentur. Quot venena, cædes, & ſi nullum eſſet aliud malum, crapula vitantur, dum ad convivia non accedunt homines. Quin quot à malis nos illa avertit cædibus, iniuriis, inſidiis, adulteriis, non ſolum quod eâ detenti impediamur: ſed quod ab huiuſmodi cum ſciamus perpetuò vigilandum & contentionibus incumbendum, non audemus nos periculo committere, ſed quieſcimus, paremuſque ſolum neceſſitati ac rationi, non perturbationibus, à quibus fallimur: cumque ſic nos

aver-

avertat, ac quasi mala dissuadeat, non prohibeat, si necessitas incumbat, nec admodum resistit, nec si vis ei inferatur, periculum affert: multi in incendiis distenti acerbissimis doloribus podagræ fuga tanquam sani essent se proripuêrunt. nec Dauriæ prope octogenario nocte sub initio Ianuarii obfuit, & equo fugam & celoce arripuisse. nec scio quenquam, qui ob podagram ab hostibus oppressus, aut qui quod se è manibus eorum proripuerit incommodum passum. Itaque cum tàm insignibus dotibus, atque exemplis, præsertim huius marini Regis encomio, podagræ finem faciamus. Neque curemus quod substantia non sit, nam substantiæ è divinorum genere sunt, ut in Hyperchen ostendimus.

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ

TRACTATUS.

AD Lectores epistola, de pedibus, & podagrâ, lectu iucundissima. 6
Proœmium, de ossium articulatione. 18

SECT. I. THEORICA.

MEMB. I. *Podagræ naturam & descriptionem exhibens.* 21
ART. I. *Nomen & ipsa definitio.* 21
ART. II. *Generis evolutio.* 29
ART. III. *Subiecti determinatio.* 39
ART. IV. *Causarũ enumeratio.* 45
SUBSECT. I. *Causam continentem eruens.* 45
SUBSECT. II. *Fontem defluxus proponens.* 71
SUBSECT. III. *Caussas antecedentes evolvens.* 87
SUBSECT. IV. *Causas procatarcticas explicans.* 97

ART. V. *Accidentium potiorum enarratio.* 111
MEMB. II. *Podagræ differentias & varietatem proponens.* 115

SECTIO II. PRACTICA.

MEMB. I. *Podagræ σημασίαν expediens.* 120
ART. I. *Signa Diagnostica.* 121
ART. II. *Prognostica.* 125
MEMB. II. *Podagræ ἐργασίαν exhibens.* 145
ART. I. *Præservatio.* 145
SUBSECT. I. *Ne tartarum cumuletur.* 146
SUBSECT. II. *Vt tartarum exturbetur.* 164
SUBSECT. III. *Vt articuli roborentur.* 183
ARTIC. II. *Curatio.* 199
SUBSECT. I. *Indicationes, & evacuantia.* 199
SUBSECT. II. *Dolorem sopientia.*

tia. 217
SUBSECT. III. *Resolventia & discutientia.* 248
SUBSECT. IV. *Cura podagræ scarificans & caustica.* 273
SUBSECT. V, *Cura Podagræ Magnetica & Transplantatoria.* 290.
SUBSEC. VI. *Nodorum Cura.* 307.
SUBSECT. VII. *Victûs regimen seu diæta.* 325

FINIS.

RESPONSIONVM
&
CURATIONVM MEDICINALIVM LIBER VNVS.

Autore

NICOLAO FONTANO, IOH.
Filio, Medico Amstelodamensi.



AMSTELODAMI,


Typis IOANNIS IANSSONII,
Anno M. DC. XXXIX.

Sereniſsimo

FERDINANDO II.

MAGNO

HETRURIÆ DUCI.


Ccidit, evicitque Felicitas ITALIÆ, ut, ſicut circa initia Magnitudinis Romanæ, eidem HETRURIA ſacra, religiones, auſpicia etiam, commodavit: ita, reparata ſalute, & verò avorum memoria, HETRURIÆ Duces arci Principique ſacrorum ceremonias, ſacerdotia ſufficerent: arma etiam expedirent, quæ in Barbaricum trepidata, utriuſque Maris littoribus, ITALIÆ Pacem conſtituerent; adſerentque: eo Magnitudinis demum provecti, ut Cæſarum &

Magnorum Regum Penateis matrimoniis & adfinitatibus complexi, ſpem ITALIÆ certam facerent, FELICITATIS DVRATVRÆ.

Hæc celebrata ITALIÆ vatibus, ut fas erat, non ſum vanus ut retractem: Id vero ſummum fuit genuinumque Parentum Tuorum bonum decuſque, lecto per ORIENTEM proximamque ITALIAM flore ingeniorũ, quîs olim GRÆCIA aut ITALIA prænituére, ſuccreſcentibus in dies ingeniis iter ſancire munireque ad ſæculorum gentiumque omnium hactenus aut pudorem, aut exemplum; adſcitis undiquaque viris magnatibus ad artium linguarumque cultum propriè natis, ut quidquid ubique egregium adlicerent, ornarent, verumque, ad-

den-

dentes nitorem, ſæculis, ceu compendio, oſtenderent.

Id animo religioſo planè recolentem, MAGNE DVX, ecce me hominem peregrinum quidem (ſi quis tamen uſpiam peregrinus MAGNITVDINI TVÆ) excitarunt quotidiana ſua in arte Medica experimenta, ut jam invita quidem modeſtiâ ſuâ artis iſtius Myſtarum manus pervagantia recolligeret, Typiſq; pervulgata eadem ad SERENISSIMÆ MAGNITVDINIS TVÆ pulvinar dedicare: id ſcilicet pretium laturum officii, ut per ITALIAM quoque conſtet, TVAM MAGNITVDINEM, hic etiam per extrema, prominentiaq; terrarum ad mare Magnum, habere ſuos ſibi cultores veros, cum voto religiosè concepto, pro

S

SERENISSIMÆ MAGNITVDINIS TVÆ victoriis, & triumphis, adversus imminentem undiquaque Barbariem.

Amsteldamo. auspicali Die Anni CIↃ IↃ CXL.

SERENISS.

MAGNITVDINI TVÆ

Devotus,

NICOLAVS FONTANVS Med.



I N-

INDEX

Illustrium Doctorum
qui
Nos in artis nostræ creperis per Epistolas adire dignati.

FRanciscus de Paz, *Hispaniarum Regis, & Serenissimi Cardinalis Infantis Ferdinandi, Medicus cubicularius.*

Foppiscus Fortunatus Plempius *Regius Professor primarius, in Vniversitate Lovaniensi.*

Nicolaus Tulpius *apud Amstelrodamenses Medicorum Princeps, & senator.*

Zacutus Lusitanus *nobilis Medicus.*

LudovicusNonnius *apud Antverpienses Corypheus.*

Samuel Costerus *gloriæ suæ modicus, sed veritatis in Arte mystes verus.*

Bernardus Fontanus *frater Medicus.*

Everardus Vosculius *Medicus apud Amstelrodamenses expertissimus.*

Iohannes Hylander *Medicus & Philosophus.*

Iohannes à Wullen *Medicus Excellentissimus.*

Gerardus Bruyn *Medicus apud VVesopienses ordinarius.*

Iacobus Worst *Medicus hîc vigilantissimus.*

Iohannes Beth *Medicus celeberrimus.*

Albertus Kyperus *Philosophus, & Medicus dexterrimus.*

In

In

Exercitationes

Excell. D. Nicolai Fontani

Ad

Lectorem Studiosum Medicinæ.

ECce novus veteri Fontano à Stemmate natus
Fons rivo largum protuberante fluit.
Est fons, est rivus. ceu fons scaturigine viva
Pro arte Machaonia dogmata multa parat.
Ceu rivus latices derivat in omnia regna.
Quisquis amas Medicam, hoc perlue fonte labra.

Engelbertus Moneel.

SERENISSIMÆ MAGNITUDINIS TUÆ victoriis, & triumphis, adversus imminentem undiquaque Barbariem.

Amsteldamo. auspicali Die Anni


CIↃ IↃ CXL.

SERENISS.

MAGNITUDINI TUÆ

Devotus,

NICOLAUS FONTANUS Med.



IN-

INDEX
Illustrium Doctorum
qui
Nos in artis nostræ creperis per Epistolas adire dignati.

FRanciſcus de Paz, *Hiſpaniarum Regis, & Sereniſſimi Cardinalis Infantis Ferdinandi, Medicus cubicularius.*

Foppiſcus Fortunatus Plempius *Regius Profeſſor primarius, in Vniverſitate Lovanienſi.*

Nicolaus Tulpius *apud Amſtelrodamenſes Medicorum Princeps, & ſenator.*

Zacutus Luſitanus *nobilis Medicus.*

Ludovicus Nonnius *apud Antverpienſes Corypheus.*

Samuel Coſterus *gloriæ ſuæ modicus, ſed veritatis in Arte myſtes verus.*

Ber-

Bernardus Fontanus *frater Medicus.*

Everardus Vosculius *Medicus apud Amstelrodamenses expertissimus.*

Iohannes Hylander *Medicus & Philosophus.*

Iohannes à Wullen *Medicus Excellentissimus.*

Gerardus Bruyn *Medicus apud VVesopienses ordinarius.*

Iacobus Worst *Medicus hîc vigilantissimus.*

Iohannes Beth *Medicus celeberrimus.*

Albertus Kyperus *Philosophus, & Medicus dexterrimus.*

In

In

Exercitationes

Excell. D. Nicolai Fontani

Ad

Lectorem Studiosum Medicinæ.

ECce novus veteri Fontano à Stemmate natus
Fons rivo largum protuberante fluit.
Est fons, est rivus. ceu fons scaturigine viva
Pro arte Machaonia dogmata multa parat.
Ceu rivus latices derivat in omnia regna.
Quisquis amas Medicam, hoc perlue fonte labra.

Engelbertus Moneel.

Tetrastichum
Ad
Eundem Auctorem.

DEficiunt alii, cum Sirius æstuat acer
Et laticem venâ deficiente negant:
Noster at irriguos Fons reddit Apollinis hortos
Perpetuo, jugis nil scaturigo negat.

Iohannes Hylander. M. D.



Ad Benevolum Lectorem.

QVicunque, Benigne Lector, in arte nõstra aliquid scribendo in vulgus emittere satagit, is si quid commune producit, actum agit, & Lectorem tædio afficit: Si quid novi persuadêre conatur, præterquam quòd aliorum in se pennas exacuit, periculo res non vacat. Nam cum non circa coria, lapides, aliamve vilem materiam: sed circa humanum corpus occupemur, damna irreparabilia committere facile est, qui experientiá susque deque habitâ, fœcundi intellectus persuasu nova & inusitata sectatur. Et in Praxi omninò ista vitanda sunt, in Theoria non sine reprehensione admittenda. Quæ cum mecum pensitarem diligentius, eam optimam rationem scribendi arbitratus sum, quâ propria observata Lucis usuræ conceduntur. Nam sic tum singularium cum universalibus consensus, & rationis cum experientia mutua convenientia animum magis in veritate confirmant; tum Medicinæ candidatis facem præferunt, quomodo Medica præcepta legitimè ad usum transferre debeant, quo intermisso, quid Medici-

dicina aliud eſt, quam inanime cadaver?

Quæ me quoque cauſa movit, ut ſummos viros imitatus, curationum & obſervationum quarundam exempla rara & prorſus monſtroſa proponerem, ut ſic multa ab aliis ſimiliter obſervata confirmarem, & neglecta ab aliis acceſsione aliquâ complerem.

Adjeci quoque litteras, & reſponſiones aliquas, tum ut varietate delectarem, tum ut propoſita breviter dilucidarem.

Verba & lites non ſectatus ſum, ſed res & experientiæ congruam veritatem, ſic ratus & diſputando & operando ex arte diverſa tempora debere. Et *diſputavi alibi in* Florile*gio meo, & dabitur alibi fortè uberior anſa.*

Nunc *hiſce fruere benevolè, lector Amice, & conatum meum ſi opus non potes, tibi acceptum habe.*

Bene Vale.

Nobili

RESPONSIONUM & CURATIONUM MEDICINALIUM LIB. I.

Nobili viro,

Dom. NICOLAO FONTANO,

Amicorum observantissimo. S. P.

Optimè dictum à Venerando Sene, in primo aphorismorum, *judicium difficile, experimentum fallax.* Tametsi enim constet, hæc esse duo fulcra, quibus tota innititur medicinalis scientia, tamen quàm hæc sint infirma facilè patet ex historicâ illâ observatione, quam Tua Dominatio mihi de Orphanis duobus recensuit, quorum unus Experientia secundante oleo chartaceo sanitati restitutus, & ab Alopecia liberatus: alter verò eodem remedio, cum ejusdem videretur esse complexionis sanari non potuit.

O! incertam, & conjecturalem artem. O! scientiam Argo dignissimam, id est homine oculatissimo, & in experimentis versatissimo. Idem etiam in aliis scientiis usu venire solet. Diversitas illa, & varietas complexionum Indefessum requirit exploratorem, qui non facile labore, & tædio frangatur.

Hæc artis inconstantia quosdam malè habet, quosdam etiam à praxi alienos fecit: attamen,

Quo pede quisque viam cæpit procedat eodem.

Idem enim medicis, quod & nautis & militibus accidere solet, cæterisque opificibus, qui artes conjecturales tractant: Non enim finis proposito eorum semper respondet. Ergo.

Quo pede cæpisti, clarissime doctor, eodem
Pergito, nec turbet fallacia ludicra mentem.
Solus enim Medicus Deus est, cui dextera certa est,
Nescia frustrari.

Vale Hisce.

Tuus Iohannes Hylander.

Medic. & Philosophiæ Doctor.

Exemplum.

DVos Orphanos Alopecia laborantes summâ curâ, & studio curare tentavi. erant, ut diceres, ejusdem naturæ, complexionis & temperamenti: omnia quæ in illorum utilitatem & curam excogitari possint medicamina adhibita: tandem ex doctrina doctissimi Zacuti Lusitani lib. 1. Histor. 1. oleo papyri capite uncto unus ab hoc tetro malo curatur; alter vero, quamvis postea exhiberem fortissima medicamina, incuratus remansit.

Incomparabili Viro,

D. IOHANNI HYLANDRO,
Med. Doctori,Philosophiæ & Artium
magistro expertissimo.

De Medicina

QVo pede jam cæpi,doctor clarissime,pergam
Nec fortuna meos poterit deflectere gressus;
Si Deus aspiret votis,& cæpta secundet:

'Si laudes & præconia Medicinæ enarrare contendam, prius animus, & vita deficient, quàm in eis celebrandis excellentiis tempus consumens,eas ad umbilicum possim perducere.

Neminem enim,doctor optime,latere arbitror,nullam esse scientiam generi humano, & ejusdem levandis miseriis, tàm proficuam & adjutricem,quàm Medicina.Nec dubitandum: Nam Deus Optimus Maximus personam medici persæpe assumpsit. Angeli, Archangeli, permulti Sancti,Patriarchæ, Imperatores,Reges,à quibus medici quàm plurima medicamenta habent, suo nomine honorifico,stabilitant.

Multiloquus ero si sacræ paginæ vastissima loca in propatulum reponam,quibus hęc veritas confirmatur; Et quo ad nostros attinet, extat medicorum portentum mirabile, qui libro de lege num. 1. tanquam ex Pythio vate loquutus sic cecinit: *Medicina omnium*

artium præstantissima est, verum propter ignorantiam eorum qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro Medicis judicat & habet, jam eo res devenit, ut omnium artium longè vilissima censeatur.

Hanc divinam propemodum scientiam non solum medici, sed philosophi, juris periti, Theologi, & alii aliarum scientiarum eximii professores palam confirmant.

Quid enim præstantius in caduca nostra mortalitate proferri potest, quàm sanitas, cujus ope præclarissimas exercemus operationes?

In sanitate plura comprehenduntur quæ admirabilem hominis structuram patefaciunt, ex quâ certâ & Symmetra æqualique inter se omnium partium proportione resultat Sanitas, & Symmetria naturalis, cujus beneficio morbi, etsi difficiles & insuperabiles, profligantur.

Quid Divinius oculi fabrica? in qua perficitur visio omnium operationum præstantissima, quoque organo uno exiguo & pusillo, tot tantaque admiranda conspici solent?

Quid evidentius coctione nostri corporis, in quâ massa quædam, alba in ventriculo, ex variis alimentis confecta, vertitur in ruberrimum sanguinem?

Quid magis stupendum, quam sanguinem purpureum transmutari in albissimum lac, & candidissimum semen?

Et

Et ne plus ultra accedamus , hæc omnia natura noſtra tanquam mater familias, diſpenſat & regit: certis uſa legibus, determinatis decretis, & invariabilibus præceptis ſtabilita, nullum non tentat opus, quod in utilitatem animantis facere poſſit.

Idcirco , Omnipotens ille Deus, à cujus nutu omnia gubernantur & pendent, Medicinam, quæ ſanitatem regit, huic naturæ noſtræ accommodavit, ita ut quemadmodum ſagaciſſima natura ordine certo procedit, ita Medicina incerto ordine ſua munia exſequi non poteſt: quare ut ſemel concludam: Medicina nullis ambagibus utitur , nullis ſophiſmatis , nec tricis, ſed æquali paſſu corpus humanum in Symmetriam promovet , & ſi ab hac forte deflectat, ſuis uſa auxiliis ipſum ad eandem commoderationem reducit.

Neque bonum argumentum te confeciſſe putes, appoſito exemplo, quod conjecturale vocas : neque enim illud ex ſcientia pendet, quæ certa eſt & invariabilis, ſed ex ægri temperamento. Accidit enim ut uno oblato medicamento quidam reviviſcat, moriatur alius.

Corpus enim à corpore multum differt, quòd vario temperamento commenſuratur.

Et ne à noſtro exemplo decedamus , Gemelli qui, quo ad nos , in temperamento videntur ſimiles, non ſunt tales, quia ſub diverſâ conſtellatione & geniti, & nati ſunt. Accedit, quod licet eſſent ſimiles ex temperie na-

tivâ ex victu dissimiles poterant esse: Quare unus sanatus qui paucam congessit succorum copiam, quæ à medicamento est discussa; alter vero, cum humidiori esset ob victus rationem capitis temperie, factum est, ut ex medicamenti applicatione, succi ad interiores sedes cerebri repercussi, malum adaugerent, & adferrent interitum mole suâ.

Quapropter: De veritate & certitudine Medicinæ non dubites, hoc exemplo permunitus. Vale. *Et Tuum Fontanum te ex corde amantem redama.*

NICOLAO FONTANO,
Medico. S. P.

MI Fontane, perspecta est mihi præ cæteris industria, & indefessa laborum tuorum assiduitas, quâ parentum tuorum virorum scientia illustrium vestigiis inhærere conaris, maxime in rebus arduis, & à vulgari sensu remotis: Prætermittere ergo nequivi tuæ gravi occupationi aliquod solamen, & subsidium præstare, quo tuus animus tot, tantisque ægrorum curis submissus aliqua recreatione, & lepôre resurgeret.

1. *Exemplum.* Inter nonnulla uno aut altero exemplo enarrato desinam.

Mulier ætate grandæva eò debilitatis pervenerat, ut vix tactum sustineret, adeò, ut tactu levissimo ipsa membra frangerentur.

2. *Exem-*

2. *Exemplum.* Alterum verò inauditum de viro adhuc superstite, cujus Thoraci lethale vulnus inflictum, ita ut pars aliqua pulmonis propēderet, quę accreta vulneri, ipsum vulnus supplebat: quæ pars propendens abscissa, erat pondere trium Vnciarum; nec quicquam simile usquam locorum visum, vel auditum.

Quarum rerum mihi rationes si deprompseris, æqualis Apollini, aut Æsculapio æstimaberis. Vale. Amsteld. Ianuarii 1639.

Tuus S. Costerus.

Excellentissimo Viro,

Dom. DOCT. SAMVELI COSTERO, *Medico Expertissimo.* S. P.

QVam Laudem, quem honorem tibi debeam, Clarissime Domine Doctor, & amice Costere, res ipsa loquitur, quæ meis verbis non indiget. Rarissima illa & ferè monstrosa omnem captum exuperantia nuper litteris tuis ad me perlata maximo mihi oblectamento, & observationibus meis summo decori sunt futura: plura hujusmodi exoptarem ad Medicæ artis majestatem plus augendam.

Sed confido plura id genus alia triginta annorum spatio inter tot ægrotos, & morborum species animadversa, & notata in lucem proditura. Nec enim à quovis alio Medico

dico talia ausim sperare,& promittere,quàm de tua præstantia.

Nemo,ut arbitror,tanta medicinæ praxios mole fuit gravatus & pressus: nemo etiam, ut autumo,tàm diversos sibi in medicâ praxi casus obvios habuit, quam Tua Dominatio, ergo hâc spe incensus non dubito,quin plura etiam alia tuarum observationum nobiscum communicaturus sis; quæ ad artis medicæ illustrationem plurimum queant conducere.

Ad ossa vetulæ fragilia quod attinet,puto siccitatem in causâ esse & consumptionem: quia ossa, si glutine suo, & adipe medulloso priventur, ut videre est in ossibus calcinatis, facillime franguntur; ita etiam loquitur Propheta Regius David: *ossa mea sicut cremium aruerunt.*

Ad secundum. Non ita mirum,ut præscriptum: simile enim etiam fit dum pulmones adnascuntur pleuræ beneficio balsami naturalis,natura enim unitatem quærit.

Hæc brevissime tibi clarissime Dom. Doctor responsa sunto. coram de his latius, si minus apte tuæ Dom. responderim censuræ tuæ me submitto. Vale pancratice.

Tuus ad omnia collega Nic. Fon.

S. COSTERI RESPONSVM.

MI Fontane. Multa monstrosa & inaudita Medicis indies occurrere certum est; sed

ſed eorum quæ tu tractas inopina, & præter communem medicorum & Philoſophorum mentem videri fateor: quapropter mi amice,

Quoque gradu graderis, tu gradiare precor.

Quid majori admirationi eſſe poterit, quam videre quod una mecum vidiſti in milite iſto haſtâ læſo in ipſa cerebri ſubſtantia, qui cicatrice obducto vulnere, & extractis quā plurimis oſſium fragmentis, ſeptem & ultra ſeptimanas ſanus aliis inſerviebat ægris. In octava vero convulſivus cum moriebatur, cauſam ſubitaneæ mortis intueor, unam cerebri partem corruptam, putridam, viſu admirandam, immo conſumptam & in putredinem converſam vidi.

Denique præ oculis habere Infantem cerebro carentem? Quidve obſtupendum magis, quam aſpicere juvenem cui erat excreſentia ex oſſe coxigis, veſicæ inſtar plena aqua limpidiſſima, quæ per ſpinalem medullam, etiam ipſam cranii ſubſtantiam ſuppleverat?

Quid humano captui inconvenientius, puerum videre ſine pulmone, cujus loco erat veſicula plena flatu, uti vidiſti in orphanorum domo?

Quid miraculoſius? quam id, quod mihi evenit de quadam muliere, quæ gutture ſuo os deglutierat, cujus tonſillæ adeo intumeſcebant, ut de vita periclitaretur, hæc extremis expoſita, & omni medicorum auxilio deſti-

tuta, sese Deo commisit: sed natura sibi consulens simili defectui prævenit; adeo ut præter spem os ex faucibus per intimas ad exteras partes extruserit.

Hæc exemplorum loco tibi sunto. Sed quid respondebis Hippocrati, qui 50 *aph. sect.* VI. ita loquitur: *Quibuscunq; præciditur cerebrum, his necesse febrem & bilis vomitum supervenire.* Et aph. 59. sect. VII. *Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit; necesse esse statim mutos fieri.* Cum horum neutrum huic contigerit?

Longior tibi narratione forem ni in prima mea epistola aliqua admiranda tibi conscripsissem, quibus contentus Vale, mei recordare, petitioni Responde.

Tuus S. Costerus.

Eximio Viro

Dom. DOCTORI S. COSTERO, S. P.

ANtiquissimus Vates, libro de vulneribus capitis (cujus monumenta eruditissimus Fallopius, & Vidus Vidius Florentinus satis doctè interpretati sunt) nullum capitis vulnus leviter contemni debere, apertissimis verbis contestatus est.

Nam multoties accidit, ut si percussum caput fuerit fuste, vel baculo, leviter, nec lethale ipsum vulnus, immo non periculosum videa-

deatur:cum tamen tractu temporis,commoto ab externâ causâ cerebro in internâ parte, & venula aliquo modo disrupta, sanguinis guttulæ,aut putrefacti ichores in ipsius cerebri sinu, in piam matrem multoties confluentes lethale reddant. Vt videre licuit in tuo ægro, qui tanto tempore nullo vexabatur Symptomate, neque convulsione, neque bilis vomitu, quæ fere semper subsequi solent, cùm propter os nervosum ventriculi, tum ob mirum quem cum cerebro habet consensum ob sextum par nervorum, quod asserit *Galenus lib.* 3.*de locis cap*.7. his verbis *Ventriculus cerebro, & cerebrum ventriculo illico suas affectiones communicant.*

Quæ omnia,licet à me penitius examinata, tamen causam haud quaquam intueor: quandoquidem in his aliquid divinum adest, incomprehensibile, & quod sensus nostros fallere possit:Quod Hippocrates forsan solus experimento cognovit. Quare hanc meam accipe rationem,quæ talis est:

Licet enim res ipsæ non semper eodem modo eveniant, ut ex figura Hippocraticæ dictionis colligitur,raro tamen aliter accidere, ut non minus doctè, quam latè *Galenus* affirmat pro tutelâ *Hippocratis lib.* 6. *aph. com.*58.Nam ea quæ frequentia sunt,pro perpetuis habentur in Medicina. Raro autem contingentia problematum Medicorum veritatem non tollunt.teste *Galeno* 2. *aph.* 43.

Ne-

Neque enim ex iis, quæ ſemel,aut bis homo vidit, debet pronuntiata conficere medica. Idem lib. de fætus formatione cap. 2.

Quare ea inter monſtroſa reponenda judico, ſic & ea quæ narras de puero ſine cerebro,quem noſtris vidimus oculis anno 1629 14.Decem. & ſe vidiſſe gloriatur *Carpus* inſignis ille anatomicus: *Scenkius lib.* 1. *obſervationum.Et Eruditiſſimus Valleriola lib.*4 *obſ.* 10

De Infante cum excreſcentiâ circa os coxigis,nihil habeo,quia ſicuti tuus erat ſine cerebro cum ſpinali medulla, ſic meus loco cerebri, & ſpinalis medullæ, aquam limpidiſſimam habebat.

Quod ad puerum ſine pulmone, doctiſſimus Dominus Profeſſor Regius Plempius, rationes excellentiſſimas profert.

De muliere quæ oſſiculum deglutiverat, quod natura ad exteras extruſerat partes:magnum naturæ beneficium dico, quæ unica parens & magiſtra.

Quare loquor cum Averrhoe 7. Collegit cap. 2. monſtra accidunt in arte, ſicut etiam in natura. Vale anima mea.

Tuus Nic. Fontanus.

Cla-

Clarissimo, & peritissimo viro,

ZACVTO LVSITANO,
Medicorum nostri ævi coryphæo,
Nicolaus Fontanus.

CVm tuam praxin, titulo admirandam, opere mirandam magis, & alias raras observationes, quas miro artificio, & polito stylo Historiis inseruisti tuis, attento animo contemplor, hujus exempli mirandi Explicationem, solum à te, artis medicæ alumno præstantissimo posse dissolvi ratus sum.

Zacharias fatuus orphanus, qui motu lunæ ad iracundiam excitabatur, mutus, & furibundus, tribus mensibus ante mortem, in tabem incidit, & cum assumpto pabulo inclinaret ad mortem, liberè loquebatur, mihique gratias egit, & adstantibus, pro animi nostri erga illum gratitudine, imò manus osculabatur, antequam pulsum explorarem, & hic mente salvâ, piè, cum Deo è vita migravit.

D. Doct. NICOLAO FONTANO,
Medico Amstelodamensi percelebri,
Zacutus Lusitanus S.

ETsi à politioris humanitatis studiis jam pridem feriatus sim, clarissime virorum, gau-

gaudeo tamen à doctiſſimis hominibus mihi aliquando occaſionem præſtari ad ea ſtudia redeundi, quæ me in adoleſcentiâ maximè delectarunt. Recrearunt animum meum obſervationes miræ,quibus etiam,ceu odoriferis floribus,praxin Hiſtoriarum adorno,quæ non tam utiles ſunt, quam jucundæ nimis. Hæc, quam deſcribis, infrequens, inaudita, non meâ, ſed tuâ,aut *Galeni* ope indigere videtur. Hujus ergo Hiſtoriæ prodigioſæ explanationem aggredior.

Impediri vocem, & homines reddi aphonos, & mutos ex copioſa humiditate, circa inſtrumenta vocis tenaciter infixa, novum non eſt, quum plures natu juniores,ſermonis uſu deſtituti, ætatis decurſu, vel artis operâ, vocales facti fuerint, humiditate excrementitiâ in totum abſumptâ. Si hoc verum eſt, quod ego puto veriſſimum,quid obſtat quominus æger noſter tam longo tempore mutus factus, corpore tabefacto,humiditate ſuperflua vi torridi & febrilis caloris abſumpta, & organis vocalibus ad hoc munus aptioribus effectis loqueretur.

Solve ſecundo. Plures à reſolutione immedicabili per multos annos oppreſſi, cum vehementi irâ premerentur, accenſo nativo calore, & ſpiritibus fervidioribus factis, roboratis nervis, abſumptis humoribus craſſis, à tanto malo evasêre immunes, ut manifeſtis exemplis *lib.* 2. *obſ.* 4. perdoctus *Valleriola* confirmat.

firmat. Deinde hac de causa, muti quidam solâ animi vehementi incitatione, vocales facti sunt, ut de *Crœsi* filio muto narrat *Herodotus in Clio*, & de Aegle Samio Athleta muto profert *Valer. Max. lib.* 1. *cap.* 8. cui cum victoriæ, quam adeptus erat, titulus, & præmium eriperetur, indignatione accensus, vocalis evasit. Simili modo nostro accidit ægro, qui, cum morti esset vicinus, ob naturæ conatum, nativo calore ad interna revocato, & sic robustiore facto, anima vehementer imperante, solutis vocis impedimentis & claustris, sermonem protulit.

Insuper nihil miri est, quod ante obitum sana mente constaret, cũ antea esset furiosus: nam omnia prope mortem melius habent. Id præter *Galenum* in locis multis explicuit *Avic. l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. dum sic ait. *Et multoties accidit apud mortem dispositio, quæ est sicut declinatio, & est quasi æger evaserit, & non oportet, ut tu occuperis in hoc, imò cognoscas dispositionẽ pulsus, & an magnificetur, & fortis fiat &c.* Hujus eventus causa, est, quia emoriente sensu natura imbecillis cessat omnino à pugna, & hoc modo otiante facultatum actione mitescere videntur symptomata, & rixa, furor, delirium in quietem permutantur sæpè. Hæc brevi dicta sint de tam seria controversia. Tu qui assiduo rerum usu polles, eam graphico penicillo describe, illustra, orna, & me tibi obsequentissimum redama. Vale Æsculapius

ipse

ipse meus, Cunctipotens res tuas ad nutum fælicitet. raptim Amstelodami 17 Maii, 1639
Sub doctiorum censura, Zacutus Lusitanus. M. D.

Exemplum.

IVvenis viginti duorum annorum, phrenitide ex Gonorrhæa virulenta contracta, laborans, post universalium usum drachmâ unâ philonii Romani assumptâ, & cucurbitula scarificata syncipiti apposita Nutu Dei, à gravissimo evasit morbo.

Gravissimus hic casus, curatu difficilis fuit. Sed cum pituita gravatus, succis crudis scatebat prima in regione æger, edocti oraculo magni *Hippocratis* 2. *aph.* 29. *Inchoantibus morbis si quid tibi videtur movendum, move: cum vero consistunt, ac vigent, melius est quietem habere*: & ut *Galenus* in commento repetit: *oportet levare naturam in initio, ut minorem jam factam materiam natura deinceps possit devincere, &c.* Ipsi minorativum exhibuimus pharmacum:

Inde biliosa, mucosaque excreta materia, natura citra levamen sudores produxit: rectè: nam ut dicebat *Galenus* 4. *aph.* 22. *in initio nihil, aut bonum evacuari est impossibile; sed sunt omnes casus præter naturam earum quæ sunt in corpore dispositionum: Nam oportet prius præire concoctionem, subsequi discretionem, & tan-*

tandem evacuationem, ut bona sit crisis, atque judicium, &c. Ergo hic sudor in initio factus contemnendus, quoniam est symptomaticus, non-juvans, juxta doctrinam Hippocraticam 2. *aph.* 52. *iis, quæ sine ratione, hoc est concoctione, levant, fidere non oportet.* Quare cum adesset copia gravativa, iterum expurgatur, aperitur mediana, & sanguis omni labe intactus emanavit.

Victum mox instituimus frigidum, humidum, ex lactuca, boragine, endivia, prunis coctis, & pomis assis, confectum. Potum ex hordeo cum succo limonum, & granatorum paratum. Clysteres refrigerantes, & emollientes injiciebantur. Sed quia sitis urgebat, febris ingens aderat, fervor internus instabat; cum vigiliis, & capitis dolore, necnon urina jumentorum simili, jure merito nobis suspicio erat de Paraphrenitide: (quæ dilirium est per intervalla, quando cerebrum ab inferis partibus compatitur;) quę statim subsequebatur. Contra hunc affectum quinto supervenientem die, ne forte phrenitis firmata fieret, & caput proprietate afficeretur, multa excogitavimus auxilia, ut frixiones asperas, cucurbitulas tibiis, costisque adhibitas, ad demendam plenitudinem.

Cardiaca non contemsimus, ut sunt Margaritæ, Lapis bezoardicus, &c; Decoctum Tamarindorum præscripsimus (hoc enim medicamentum in febre maligna divinum

est.

eſt,nam bilem coercet,malignitatem domat) quo potu ſe delectari dicebat, & per intervalla ad mentem redibat.

Cerebrum roboravimus præſcripto *Galeni* 13.*meth.cap*.21.Oxyrrhodinis,ne reciperet fluentes humores, nam à capite repellendus humor eſt. facultatem animalem recreavimus, ſomnum provocavimus,unctis temporibus unguento Populeo, mixto lacte muliebri,& oleo Violato. Nocturno tempore exhibuimus emollientes clyſteres & refrigerantes. Sed quia faſtidiebat (& in febribus malignis, qui comedunt valenter à morbo liberantur ex Avicenna 1, 4. tract.4. cap.4. de febre peſtilentiali) idcirco jus pulli obtulimus, & emulſiones cum ſeminibus papaveris propinavimus.

Iterum de plenitudine deponenda eramus ſolliciti, quoniam vigebat adhuc ingens febris,& humorum cruditas; ſed quia æger,ad venæ ſectionem non ſufficiebat,& vires debiles erant, facultaſque animalis lancinata à mala aura venenata,idcirco Hemorrhoidalibus venis Hirudines affiximus,ex qua vacuatione graviſſimus eſt extractus ſanguis.

Sed, cum morbus eſſet ſuperior natura, plurimum invaluit, & ferociter exacerbatus eſt,& phrenitis ſubſequuta,cum ſumma vigilia; quare ſeptimo die cepit captare muſcas, floccos evellere,& delira loqui.

His viſis, conſultum fuit inter medicos

utrum

utrum expurgandus esset. Quidam ob fervorem nimium renuebant expurgantia ; admittebant alii, quia hic humor gerebat vicem turgentis materiæ:tandem illa vicit opinio, quod nullo modo ante decimum quartum diem expurgandus esset; quam sententiam firmat Lud. Marcatus. lib. 1. de morbis internis cap. 11. plurimas ob causas. Quod etiam expresse monuit *Galenus* 4. *Acut.* 76. his verbis: *Nam vel statim ab initio priusquam in partem aliquam confirmentur humores, medicandum, vel postquam ad maturitatem perducti fuerint.*

O! sententia memoranda. Nam plerique in medio febris impetu, & fervore, Catharticis phreniticos, & ardentibus febribus laborantes, excarnificant.

Quare cum æger debilis esset, solis mollientibus Clysteribus contenti fuimus, & venam carpi in aqua tepida secuimus. quia hac secta, minor spirituum copia evacuatur.

At cum delirium & vigilia invalescerent, occipiti cucurbitulas scarificatas imposuimus, frontis venas scidimus, sed incassum, quare refocillatis viribus alternatim, singulis diebus evacuationes celebravimus. Deinde appositis Hirudinibus temporibus, retro aures, æger in pejus evasit, & continuo vigilavit.

Ad somnum conciliandum solliciti fuimus, & fecimus Embrochas syncipiti raso infun-

fundendas: ex decocto violariæ, rof. nenupharis, fem. papaveris, portulacæ, lactucæ. sub plantis pedum appositæ fuere pultes, sed frustra: Nam contractiones nervorum, tremores manuum & pedum, cum oculis distortis, & convulsis (morbum hunc strabismum Græci vocant) conspeximus: quæ omnia ex nimiâ siccitate, resoluto spiritu animali visorio, à malâ & veneficâ aurâ, originem duxisse judicavimus.

Cumque undecim diebus immotis oculis jaceret, velut in re desperata, & casu conclamato, ad fortissima auxilia devenimus; quoniam ut *Galenus* dicebat 10. *Meth.* 10. *Quando salutis unica est via, licet dubia, melius est aliquid cum fiduciâ tentare, quàm ægrum spe ademptâ certo perire. nam melius est anceps remedium experiri, quam nullum, teste Corn. Celso lib. 2. cap. 10.* Et drachmam Phylonii persici cum aquæ lactucæ ℥ III. ægro exhibuimus. Quo auxilio, & imposita cucurbitula scarificata in syncipite magna cum flamma septem horis dormivit, febris remissa, supervenitque Diarrhea biliosa cum tolerantiâ, & conferentiâ, sitis remissa, delirium evanuit, & æger ad mentem rediit. Vrina concocta est, & post decimum quartum diem Rhabarbaro, & pulpa casiæ purgatus, in totum convaluit.

Excm-

Exemplum.

uerpera ex non ritè fluentibus lochiis, in
ıssimam Apoplexiam incidens, à me, me-
ıte Divini numinis gratia, post enema-
injectionem, & Cephalicæ venæ sectio-
ı, curatur.

NICOLAO FONTANO

ico solertissimo, Fratri suo amantissimo
ERNARDVS FONTANVS. S. P. D.

Vperrime, cum omnium creator Deus
ter optimus, terque maximus, natura,
harmaca, morbum vestrum diuturnum,
acutū, non minus gravem, quam pericu-
n superassent, tuq; lectulo tuo surrexisses,
namq; sanitatem recuperasses, nonnullos
acchanalia omni amicitia, & jucundita-
ebraremus) convocasti, mensam lau-
poculis variis adornasti, ut quotquot ti-
ent hospites ac convivæ, hilari, lætoque
o Baccho libarent, inter crateres vino
ante repletos, mihi à filio tuo Iohanne
ano, nepote meo charissimo, offertur
ibliotheca vestra amplissima Zacuti Lu-
præstantissimi de Medicorum Princi-
Historia, liber Quintus, & Sextus nuper
uditissimo auctore tibi oblati, & simul
acti, in cujus medio chartulam te forsi-
gnorante, tuis scriptis plenam, inveni,

legi, relegi, & admiratione maxima verba tua ſubſequentia perſcrutatus, quæ hæc erant.

Puerpera ex non ritè fluentibus lochiis in graviſſimam Apoplexiam incidens, à me, mediante divini Numinis gratia, poſt enematum injectionem, & Cœphalicæ venæ ſectionem, curatur.

Re vera caſus, ut dicam, magnus, cura laudabilis, morbus periculoſus, quæſtio difficilis, quæ nobis, tibi, & mihi, inſciis oblata gratiſſima fuit. profecto calcaria addidit, ut parato ac feſtinante calamo has litteras vobis reddiderim,

Nam dubiam traxit ſententia mentem:

Vtrum poſt actualem partum, vel citra eum fluentibus rite menſtruis, licitum ſit Medico, recta methodo incidere brachiorum venas relicta ſaphena? uti optimo ſucceſſu, ſumma fælicitate, nec non maxima utilitate, te feciſſe in curatione hujus ægræ, dicis: cum pro contraria parte plurimæ mihi ſuperſunt rationes, & difficultates.

Nonne præter alias plenitudines omnes ex ſuppreſſis menſibus ortas, ſecta in crure vena liberaliter evacuavimus, ſummo præſidio & maximo levamine? cum alias id fieri vidimus, ſummo cum ægri diſpendio? Quandoquidem nobis ſæpiſſime videre licuit mulierum purgationes, à ſectione venarum brachii, revellere ſolere, ſuffocationes excitare, delirium adferre & mortem? Quare non citra

peri-

periculum tentant, qui venam incidunt iis.

Timor enim esset magnus, & in intimis mei cordis penetralibus hæreret scrupulus, si fluentibus lochiis superiores tunderem venas, contrarius enim fit motus & ad partes superas sanguis trahitur, qui per infernas viam fecit, per quam fælicius semper purgantur mulieres, unde supprimerentur menstrua, duplicarentur affectus, augerenturque symptomata, vel morerentur ægrotantes.

Sed cum rerum ad studium & praxin medicinæ pertinentium cupidus sim, & te laboriosum, diligentem ac vigilantem sciam, & ita in Medicinæ arcanis perscrutandis primum, ut secundum non habeas, ex tempore hæc tibi scribere decreveram, ut ex eruditionis tuo Thesauro opulentissimo, & limpidissimo (ut ad nomen nostrum familiare alludam) fonte solutionem tuam scriptis, aut dictis expectare possim, an in concepta mea opinione persistere mihi licitum sit, quod perspicaci tua mente hic stabiliveris, id firmum remanebit in mente mea, neque committam, ut in ullo officio, quod bene merenti debetur, jure me, ac merito quisquam reprehendat.

Insuper ex animo, & toto corde suo te amat, colit, & veneratur, Tuus addictissimus frater.

Bernardus Fontanus Medic.

Clarissimo Domino Doctori

BERNARDO FONTANO, FRATRI meo dilectissimo. S. P.

IVcundissimas tuas, quibus immeritum extollis summo cum delectu legi, atque cordi affixi, pro quibus gratiæ tibi debentur immortales. Quod in Magni Zacuti Lusitani libris, tibi per Filium meum Iohannem Fontanum, missis, ais te exemplum rarum invenisse, gaudeo, sed non præter mentem meam; nam si aliquis locum meruerit in quęstionibus meis, certè tibi primus debetur, partim ob fraternum vinculum, partim etjam ob commune Studium, quod nos dupliciter devinctos reddit: Quare mi frater, bene fecisti quod legeris, & melius quod solutionem hujus casus à me flagitaveris; quam à me accipies, postquam nonnulla notatu digna de Apoplexia scripserim.

Apoplexia ergo definitur privatio motus, & sensus totius corporis repente incidens, cum principum functionum læsione.

Est symptoma in genere læsarum actionum animalium, non diminutę, nec depravatæ, sed abolitæ.

Causa immediata hujus affectus, est intemperies humida, & frigida cerebri.

Mediata & materialis, est humor crassus, viscosus, tenax, muscilaginosus, & melancholicus,

licus, ad cujus præsentiam sequitur obstructio omnimoda, constipatio, constrictio cerebri, & ventriculorum ejus, ita ut nulla adsit convulsio, nullus motus, nec conatus naturæ ad expellendam noxam sensu perceptam, ut accidit in Epilepsia, in qua cum non adsit perfecta obstructio cerebri, & ventriculorum, natura potest sese contrahere; & tunc ad ventriculorum contractionem sequitur expulsio materiæ, & fit motus convulsivus, qui non fit in Apoplexia: quia in ea impeditur totalis transitus; hocque ob totalem obstructionem.

Causa communis hujus morbi, ut diximus, est pituita crassa, humorque melancholicus terrenus, & crudi succi.

Num autem sanguis Apoplexiæ potest esse causa, si crassus fuerit & multus est quod Petimus? Respondemus affirmativè cum Iacchino lib. ad Almansorem cap. 9. Mercato lib. 1. de morb. intern. cap. 17. Salio Diverso lib. de aff. part. cap. 2. quod sic; nam cum sanguis vel pituitosus est, vel calidissimus, & à toto corpore ascendat per jugulares, Apoplecticasve venas, aut per quasvis alias cerebrum comprimitur, & penitus obstruitur, spiritus animalis extinguitur, sensu, & motu animal privatur, quia spiritibus ad sensoria, & motus instrumenta nullus adest aditus, quo pacto ex hoc copiosiori sanguine detento, excalfacto & acriori reddito, partem posticam & anticam cerebri occupante, Apoplexiam oriri

Galenus probat 2. aph. 42. Cujus extat insignis Historia apud Doctiss. Fernelium lib. 2, de abditis Rerum causis, is, de quodam Apoplexia mortuo, cui anteriores oculi venæ per contusionem disruptæ erant, ex quibus sanguis ultra cochlearia duo in cerebri basi confluens, & concretus, hanc penitus obstruxerat.

Ab hoc etiam humore, sicut etiam à Pituitoso, & Melancholico oriri Apoplecticas passiones valde Apoplexiæ consimiles, explicat insignis Vallcriola lib. 7. Epyd. in com. textus 82. Harum signa sunt: Vertigo magna, Aphonia, ignorantia rerum omnium, stupor mentis, oblivio, & delirium.

Signa hujus defectus ex Galeno 4. de locis cap. 2. sunt privatio sensus, & motus, & oblivio omnium rerum ut diximus. Ægri nihil respondent licet pungas, clamites, jacent cadaveris instar, labuntur ad pedes, in illis respiratio difficilis est ex Gal. 2. aph. 42.

Aliqui pulsum servant, alii pusillum habent, nonnulli nullum. Alii, in quibus fere omnimodo & absoluta adest cerebri, & ventriculorum ejus obstructio, nullam respirationem habent.

Sed signa sanguineæ Apoplexiæ sunt oculorum & faciei rubor, vividitas in facie, tactus mordax, febris ingens, quæ omnia in pituitosa contrario modo eveniunt.

Insurgit hoc loco gravissima dubitatio,

quam

quam primus omnium proposuit Galenus lib. 6. de locis aff. cap. 5. Cur Apoplectici, & fæminæ utero strangulatæ possint vivere sine pulsu, aut ulla respiratione. Quamplurimi respondent, animalia non posse vivere sine respiratione, & pulsu, vel sensibili, vel insensibili. Si autem in Apoplecticis non sentitur respiratio, in causa est, quia licet ii non habeant sensibilem, habent tamen insensibilem, quæ vix percipitur, nisi ori speculo apposito, aut gossipio, illud videbimus ab insensibili respiratione commaculari; & Lanam moveri. Bona videtur hæc responsio, sed non undiquaque vera; nam existimo Hystericas, & Apoplecticos sine ullo pulsu vivere, aut ulla respiratione vel insensibili, ut citato loco Galenus probat, & experimur in suffocatis aquâ adhuc viventibus. Verissime ergo loquitur Galenus ibi, dicendo hos non vivere respiratione, sed transpiratione, quæ per cutem celebratur, cujus vi aër per arterias defertur ad cor, quia, licet paucus sit, sufficit ventilare cordis calorem, qui suffocatus & obrutus minori indiget ventilatione.

Ex horum numero nonnulli fuere sepulti, ut videbitis apud Amatum Lus. 4. cent. 23. Levinum Lemniũ lib. 2. cap. 3. de occult. nat. mir. Paschalium lib. 1. cap. 13. Quare non facile hi sepeliendi nisi ante tertium, vel quartum diem ut Avicennas monet 3. 1. tract. 5. cap. 12. Et proprio experimento probat

acutiſſimus Zacutus Hiſtoria 34.

Differt à ſopore, quia in hoc non tollitur ſenſus; à Caro, quia in hoc affectu non læditur reſpiratio; à Cathalepſi, quia hi debiliter reſpirant, & oculos apertos habent.

Ab uteri ſtrangulatu, quia in eo facies mutatur, adeſt difficilis reſpiratio, & reperitur convulſivus motus. Differt à Syncope, quia huic nullus adeſt pulſus; ab Epilepſia, quia in ea convulſio adeſt, & ſervatur motus.

Imminentis Apoplexiæ ſigna ſunt ſubitus capitis dolor, vertigo, Oculorum caligo, ſtridor in ſomno, ſibilus aurium, rerum oblivio.

Prognoſis. Apoplexia fere interficit, & præſertim illa, in qua omnino prohibetur reſpiratio, quandoquidem hæc maxima eſt, & acutiſſima.

Senes ab Apoplexia difficulter evadunt, quia in iis adeſt humorum copia, & vires habent debiles.

Antequam curationem hujus ſævæ Apoplexiæ attingam, rarum enarrabo tibi, mi frater, Exemplum & annotatione dignum.

Vocor ad matronam nono menſe utero gerentem. Hæc ejus diei tempore matutino optime adhuc valuit, & ſana adhuc exiit, ad horam autem ejuſdem diei quartam incidit in Epilepſiam gravem cum ſpumâ copiosâ. Poſt Epilepſiam ſucceſſit Paralyſis oculi ſiniſtri, quod rariſſimum eſt, nam ex mille epilepticis vix unus in Paralyſim abiit. Reſolu-

tus fuit oculus ratione nervi palpebrarum moventis, & optici. Hora autem nona noctis iterum incidit in Epilepsiam majorem priore, qua vox prorsus cessit. Hinc successit stertor, talis, qualis succedere solet apoplexiæ à qua solo motu distabat. Duodecima supervenit ultima & gravissima, & enixa est duos infantes mortuos, flaccidos, & lividos. Circa quartam, cum vocor, inveni illam apoplecticam, & prædixi cito hanc morituram, ut evenit, nam ante horam octavam obiit.

Hanc inserui Historiam ob ejus raritatem, quam ita raram judico, quam quæ rarissima, & forsan similem nec Hippocrates, nec Galenus unquam viderunt.

Acutissimus affectus Apoplexiæ est; & idcirco tardare in talibus, malum. Quæ enim celeriter fieri debent, celeriter peragere oportet ex Hippocrate 1. acut. cap. 8. Quare ilico aggredienda curatio, quæ cum summo sit periculo, oportet ut prædictionem habeas mortis.

Fiant igitur ilico ligaturæ extremorum dolorificæ. Ligentur artus fortiter. Cucurbitulæ applicentur à planta pedis usque ad occiput.

Omnes auctores tam prisci, quam veteres concordes sunt venam cephalicam aperire, in corpore carnoso, juvenili, florente ætate, constantibus viribus. Clyster etiam injiciendus acris, ex decocto Nepithæ, Salviæ, Rutæ,

Majoranæ, Chamedrios, Chamepythios, Absynthii, Betonicæ, Stœchados, Rosmarini. Et ex Electuario Hieræ Logodii, vel Hieræ Diacolochinthidos. Pilulæ exhibendæ fætidæ, cocchiarum, cum V. vel VI. granis Trochiscorum Alandaal, aut scammonii. Pessulæ fiant ex sale gemmæ, & colochynthide.

Si aliquid deglutire potest, exhibeantur Electuarii Diaphænici ℥vj. cum drachma una agarici Trochiscati, & syrupi solutivi uncia, nec non aquæ majoranæ ℥iij.

Medicamenta fortiora debent esse, quia vis animalis in toto consopita jacet, & non nisi à vehementioribus excitatur. Mithridatium, & Theriaca maxime sunt in usu, præcipue si aliquid pulveris Castorei admisceatur.

Imponantur Hirudines in temporibus, retro aures, ad extrahendum humorem in capite fixum. Vena frontis secetur quam citissime, cujus sectione non tantum Apoplexiam, sed omnes capitis morbos sanari testatur *Avicenna* 1.3.*Tract.2.cap.*11.

In capite ustiones faciendæ sunt candenti ferro, ut crassus, viscidusque humor liquetur qui mali causam reservat, & auget.

Sinapismi imponendi. Fovendum caput decoctis calidissimis factis ex aqua vitæ, oleo Castorei, Cinnamomi, Anisi, actu ferventissimis. Hæc si non suffecerint, & æger naturâ pituitosus sit, ex Rhasii mandato, capite de

Apo-

Apoplexia, sartaginem actu ignitam capiti impone, in eundum usum.

Si in Epilepsiam terminetur affectus relicta Apoplexia, Epilepsiam sana. Quomodo sit persananda inter omnes docuerunt Rembertus Dodonæus proprio capite; Et Forestus libro de cerebri affectibus curat. 73. & 74. de paralysi Apoplexiam sequuta.

Instabis, utrum liceat adhibere, auxilium tam forte, suspectum, & periculo plenum? dic, nulla remedia posse carere suspitione, quod asserit *Galenus* 13 *Meth.Cap.* 11. Dum dicit: Nihil est quod tantum prodest, quin aliqua ex parte noceat, nam attendimus ad majorem utilitatem, quæ pluris æstimatur quam minor noxa, ex eodem lib. 1. aphorism. 24. & 12. meth. 1. & 8. quare licet sartago adurat pilos & cranii os, atque ulcera excitet; Tamen magis est æstimanda vita, quam læsio, nam ut cecinit Avicenna 6. 4. Tract. 4. cap. 2. melius est abscissio unius membri, quàm mors totius, & non fit evasio à morbo magno absque contractione membri: quare ut concludam, dico quod in adultis uti eâ liceat summâ cum utilitate, uti proprio experimento fæliciter fecimus. Hæc quoad Apoplexiæ causam, differentiam, prognosin, atque curationem dicta sunto.

Iam, mi frater, studebo tuis gravissimis argumentis, nec non petitionibus satisfacere; quod ut fiat, ita loquor: Humor vel est fluxus,

& morbus habet partes omnino factas in cerebro,& permanentes; vel est fluxurus,& nullas habet partes factas,vel fientes,sed futuras. Si humor fluxurus est, & imminet Apoplexia,fluatque sanguis menstruus actu,tunc tali venam seco,& remedia in Inferioribus partibus adhibeo. Si humor fluxerit, & fluunt menstrua; tunc primo è talo, deinde ex brachio sanguinem emitto; sed si Apoplexia confirmata sit, & morbus conclamatus, humorque solum in Cerebro, & ventriculis ejus sit fixus & impactus (uti in hâc puerperâ mihi videre licuit, tunc licet fluant, vel non ritè fluant, menstrua, ea contemno) & indicationi urgentiori succurro. Idem exercuit remedium Valleriola lib.5.obs.10. In pleuritide post partum sævâ, post tertium diem, rite fluentibus menstruis:Fernelius 2.meth.8 post partum, rectè procedente purgatione menstruâ, ob febris ardorem; etiam Amatus Lusitanus primo cent.34. & Mercatus lib.1. de morbis mulierum cap. 16. Et licet venæsectio aliqualiter nocere possit è brachio facta, tamen minor noxa majori utilitate est redimenda. Quare bene feci,autoritate gravissimorum virorum, eorumque experientia instructus.

Vtrum jam tibi satisfecerim, judica; sin minus,ponderosiora proferam. Vale mi frater unicè colende,cui sum,& ero

Nicolaus Fontanus.

Peril-

Perillustri viro Domino

NICOLAO FONTANO. S.P.

V*Ir Clarissime*, Assiduitate scriptionis mutuum ut facias mecum, impudens sim si postulem; eam enim spem abundè mihi promittit indoles humanitatis tuæ, impensiusque in eo me laborare jubes, ut in appellando crebrior sim, quam ut culpam temeritatis deprecer: Quare gratulor mihi, quod hâc occasione difficilia absq; terrore adeundi animum, & negligentię meę stimulum addideris.

Illud tamen inprimis humanitatem tuam rogatum velim, ne cedro & judicio tuo digna à Tyrone expectet: quem minima sæpe districtum tenent, quæque Tu nullo negotio dissolvas: quamvis id sedulò operam do, ne in literarum inutilium studiis detinear, iisque implicer, quæ sive contineas, nihil tacitam conscientiam juvant; sive proferas, nihilo doctior sed fortè etiam molestior videberis: Multa equidem artis nostræ proceres anxiè lectoribus inculcare video, quæ sane cuncta ut tantâ curâ porrò tractem, quanta scripta sunt, in posterum cavere cogito: neque tu, credo, mihi auctor eris, ut iisdem operam meam locem: quas enim moras, res ipsas, non rerum umbras sectanti injiciant, meo exemplo nullo fructu probare possem. Sic itaque tecum mihi agere liceat, ut quæ tum Galenica tum aliorum necessaria & utilis lectio sup-

peditat difficiliora, & acutiore trutinâ digna, judiçio tuo, cui nihil non tribuo, submittam: Ac ne nunc nisi proletaria verba mittere videar, istud quærere lubet, quod, dum his diebus Galeni laboribus gratâ mente fruerer, non parum difficultatis continere videbatur. Ita enim ille lib. de utilitat. respirat. cap. 5. Cum arteriæ circa collum laqueis constringuntur, nihil patitur animal, neque statim neque postea, &c. & mox: cujus verò gratiâ carotidum arteriarum circa collum mentionem feci, idipsum rursus dicetur: nempe, quod cerebrum spiritu à corde allato non valdè egeat. Hæc certè si ita se habent, ut quidem credere omninò par est, quomodo asserit Hip. 4. acut. 23. cùm quis repentè obmutescit, ob venarum interceptiones id fieri? Quomodo Heurnius lib. 1. de morb. cap. de Apoplex. omnesque ferè medici practici in venarum jugularium obstructionem aphoniæ & Apoplexiæ causam rejiciunt? Quinimò illud potius sequi videtur, hominem vasis jugularibus amputatis non solum vivere, sed etiam iisdem obstructis apoplexiam haudquaquam suboriri posse. Huic quæstiunculæ si manus admovere non pigebit, similibusque subinde interpellari non dedignaberis, omni ope enitar ut neque te impensi laboris, neque me suscepti honoris unquam pœnitere possit. Vale, & ignosce παῤῥησίας.

Tuus quantuluscunque.
Johannes à Vullen. Medicus.

IOHAN-

IOHANNI à VVULLEN
Medico Galenico eximio.
S. P.

EXimium, imo arduum propoſuiſti dubium, Doctiſſime VVullen, & non niſi à viris jam in arte progreſſis expectandum: nam ab illo, veluti ab amæniſſimo, & perenni fonte, rivuli ſcaturiunt quam plurimi, in quorum aqua haurienda peritiſſimi artifices vacillant & cæcutiunt. Itaque illi tam latè ſe diffundunt, ut ſi rationis trutina, bilanceque ponderemus, in eorum vaſtiſſimo Pelago, ſyrtes,& aſperos inveniamus ſcopulos. Nos brevitati ſtudentes in anguſtã omnia contrahemus ſummam. Sic proponis: adſcribam autem locum integrum ex Geleno lib. de utilit. (de uſu vocatur ab aliis) reſpirat. cap. 5. Cum enim arteriæ circa collum laqueis conſtringuntur, nihil patitur animal, neque ſtatim neque poſtea: quemadmodum nos aliquando experiundi gratiâ illas laqueis conſtrinximus, atque totum diem animal reſpirare & expirare, ac moveri citra impedimentum viſum, ad profundam jam noctem mactavimus, ut qui putaremus, tam diuturnam experientiam non amplius fidelem ac tutam eſſe: poſſe enim tanto temporis ſpatio, quo laquei circumnexi fuerant, aliquod ex principalibus membris per conſenſum eſſe læſum: admirabamur ergo, cum reperiremus arterias ex prin-

principalissimis vitalibus organis, ipso videlicet corde, ad principalissima animalia organa ipsum videlicet cerebrum, protensas, ita citra omnem vitæ offensam injuriam tolerantes: &c. Hæc si vera sunt, quomodo asserit Hippocrates 4. acut. 23. cum quis repentè obmutescit, ob venarum interceptiones id fieri? Quomodo Heurnius l. 1. de morb. cap. de Apopl. omnesque ferè Medici Practici, in venarum jugularium Aphoniæ & Apoplexiæ causam rejiciunt: &c. Galeni certè ex loco, manifesta colligitur antonomia, quam hoc exordio ducto, solvemus.

Arteria è sinistro cordis sinu prosiliens, alia ascendens, alia descendens est. Illa statim ramulum in cordis basim, & ambitum reflectit quem coronariam dicunt: Hic sursum ad jugulum defertur, & in duos insignes ibi dividitur ramos, subclavos dictos. A subclavio dextro, quinque emergunt arteriæ, intercostalis superior, mammaria, muscula, cervicalis, & carotis, quæ à nonnullis Apoplectica, à Celso, lib. 5. cap. 1. Phagitida dicta est, à quibus pensilis, spermatica, somnifera, juvenilis, organica. Hanc distributionem vide apud Galenum lib. 16. de usu part. cap. 12. de arteriis Carotidibus. Et consule Vesalium lib. 6. fabricæ cap. 12. de divisione ascendentis arteriæ, & alios.

Hæ arteriæ maximæ sunt ex Galeno lib. 2. de natur. Hum. com. 6. & sic maxima sanguinis

nis copia redundant. Quando ergo ſanguinis calidiſſimi, aut pituitoſi multitudo ex iis vaſis irruit in cerebrum, hoc comprimitur, & penitus obſtruitur, ſpiritus animalis fere exſtinguitur, ſenſuque privatur animal & motu: Quare his compreſſis, coarctatis, intercipitur via, qua vitalis ſpiritus per has arterias in cerebri baſim fertur; ut docent Hippocrates, & Galenus lib. 4. acut. textu 23. *Dicentes: Cum quis repente obmuteſcit, id faciunt venarum interceptiones, &c.* Quam ſententiam explicant Heurnius in commento, & Vidus Vidius junior, lib. 2. de curat. memb. cap. 16. de Apoplexia cognoſcenda, & curanda. Fernelius lib. 5. cap. 4. pathol. Iis ergo obſtructis, compreſſis, coarctatis, interceptis, in Apoplexiam homo incurret, non ſolum ob dictam cauſam, ſed quia ob nimiam ſanguinis copiam ſummopere extenduntur complicationes illæ arteriarum, quæ in anteriore utroque ſinu cerebri continentur (coroides plexus Galenus vocat 7. de placitis cap. 3.) & inde repente utrumq; ſinum oppleri ab immoderata ſanguinis copia, quæ ſubito in hæc vaſa impetum facit. Sic intelligendus eſt Hippocrates, citato loco, & cum eo Ariſtoteles 3. de Hiſtoria animalium cap. 3. Qui ob hanc canalium, & carotidarum videlicet arteriarum, immodicam repletionem, extenſionem, Apoplexiam inferre affirmarunt.

At ſi hæc vera ſunt, & ex fęcundiſſima do-

ctorum

ctorum penu exhausta, cur his constrictis arteriis nihil patitur animal, quod protulit Galenus lib. de usu puls. capite 2. qui ita loquitur: Ad hæc *si ipsas, quæ in collo sunt, arterias vinculo exceperis, nullam evidentem noxam animali attuleris: tamen si cor cum cerebro, princeps scilicet instrumentum actionum vitalium, cum principe animalium connectant, &c.* Non ego solus, sed clarissimus Andræas Laurentius lib. 10. de Re. anatomica. Quæst. 7. dum de animalis spiritus nutritione & materia agit, sic conciliat. Dum enim probat cum Galeno citato loco de utilit. Resp. præter aërem per nares attractum, vitalem etiam spiritum per carotides, & cervicales arterias in cerebri basim delatam esse spiritus animalis materiam. Dicit, verum quidem esse si ligentur arteriæ carotides brevi tempore, sed diu non posse sine detrimento vivere. Hoc explicat ipse Galenus lib. de usu puls. apud Lacunam fol. 507. mihi vero cap. 4. in hunc modum: *Id quod videri posßit in causa, ut carotidibus arteriis vinculo exceptis, per diem integrum animal sine noxa perduret &c.* Nam si diu intercipiantur, animalis spiritus, qui præest ventriculis cerebri, deficit, & evanescit.

Quare si arterię carotides brevi cōstringantur tēpore, nil patitur animal, pro ut Galenus experimento edocuit, si diu, ut ille infra lib. de usu puls. citato demonstrat, flamma extinguitur, & perit animal. Hanc solutionem, locaque

repu-

repugnantia apud Mercatum vide lib. 1. de usu cordis,ac arteriarum, Tract. 2. titulo de usu. pulſ.

Solvo Secundo. Arteriis carotidibus compressis, à causa interna,ob dictam causam, Apoplexia,& alia mala eveniunt. A causa vero externa non ita,ut experimento Galenus demonstrat.

Solvo tertio. Carotidum levis constrictio, hæc non creat mala, nam his constrictis vinculo leviter, non patitur animal: hoc enim ad secandas leonicas, temporum venas in canthis oculorum sitas, collo apposito, sæpius utimur.

Solvo quarto. Arteriis circa collum laqueis constrictis, nil patitur animal, hoc est, nullum animal dolorem patitur. Arteriæ enim & venæ, inquit Galenus lib. 16. de usu part. 1. cap. 12. sensus sunt expertes, si illas frangere velis, sive incidere, sive laqueis excipere.

Hæ solutiones meo judicio sufficiunt, sed prima Laurentii, quæ Galeni est, & Ludov. Mercati menti est conformis.

Tu, qui in his arduis litibus dirimendis pro Galeni tutela vehementer insudas, nostram amplectere solutionem quæ Galenicam Minervam sapit,& me ama. Ex musæo. 17. Februarii Anno 1631. Te colit,& veneratur

Tuus Nicolaus Fontanus Med.

NICO-

NICOLAO FONTANO
Medico. S. P.

ANnus est ex quo hic æger in levem incidit Apoplexiam, quæ terminata est in Paralysim dextri lateris cum mentis alienatione, & tantâ artuum, præsertim, inferiorum imbecillitate, ut diu in metu Gangrænæ fuerit, quam cum superaverat, permansit mentis imbecillitas, artuum debilitas, linguæque impeditus motus.

Quæritur, utrum huic conveniant fonticuli, cessante jam fluxu, ad corrigendam partium imbecillitatē à tanto morbo residuam?

Equidem me Domini acutissimo judicio facile submiserim. Vale Tuus ut suus.

Nic. Tulpius.

Expertissimo, Doctissimoq; viro Domino
D. NICOLAO TVLPIO SCABINO,
& apud Amstelodamenses Medicinæ
Doctori celeberrimo. S. P. D.

E*Xpertissime Archiatre,* Cum æger hic cerebri humidioris, & excrementosi, ex inde totum corpus cacochymicum, tametsi naturæ sit imbecillioris, nihilominus tamen meo arbitratu maximum sentiet juvamentum, si post generalia adhibita, instituantur in locis debitis cauteria, seu fonticuli ad evacuandam superfluam illam excrementorum mo-

molem,quâ dulciter evacuata,ut in fonticulis fieri ſolet,firmiter ſpero hunc melius habiturum, & complexionem ejus ſolidiorem fore, & mala illa quæ hactenus paſſus eſt,in poſterum iri diminutum:edoctus ab Hollerio lib.I conſult. I. qui docet in hoc caſu ferro, & igne pugnandum eſſe. Nam præterquam quod hoc auxilium ſupplet vicem phlebotomiæ, & purgationis, ut inquit Guido Tract. de caut. doct. I, cap. 6. divertit humorem à loco Læſo.

Remedium evacuativum eſt, & derivativum,etſi dicere velis,Revulſivum. Hos fonticulos in omni reſolutione approbat Ætius Tetrab.2.ſerm.2.cap.28.de Paralyſi.quos examplificat Mercurialis lib.I.paraxios.cap.20 Mercatus lib. I. de morbis internis cap.15. ex mente Raſis, & lib. I. indication. cap. ultimo. Paſchalius lib. de curat. morb. cap. XIV. de Paralyſi, nec diſſentit ejus interpres Pereda in commento. Quare ego hos huic ęgro maxime neceſſarios duxerim,ut ita ſuccis crudis & craſſis, qui ex depravatâ cerebri coctione continuo in partem paralyticam diſtillant,pateret apertus exitus: Quibus fonticulis,cæteris tamen non neglectis vidi Paralyticos ſanitati reſtitutos.

Attamen,non ita in horum auctorum verba juraverim,quin meliori judicio & ſententiæ tuæ ſubſcribam. Vale. *Excellentiæ Veſtræ addictiſsimus Nicolaus Fontanus.*

Exer-

Exercitatio in Paralysi.

SI accidit Paralysis Apoplexiæ, quid faciendum? Dico, si febris infestat, viresque adsint, humorem deonerantem expellere pharmaco.

Petes. Si febris maxima adsit tentabisne phlebotomiam? Maxime, cum nullum auxilium sit, quod deonerat naturam amplius quam sanguinis missio: sed cum debita cautione in conservandis viribus, & moderando statum morbi, ita ut si status est longus, necesse est vires amplius servare:

Vtrum febris hoc in affectu excitanda ut suadet Hollerius, & probat Castrensis lib. 4. opusculi, quæ ex quibus cap. 7. 2.

Ita, quia febris hæc crassos dissolvit succos, & lentos absumit humores. Licet renuant Fuchsius, Mercatus qui nullo modo excitandam febrem asseverant, quos coarguit Zacutus 1. Hist. 34.

Ex qua parte celebranda erit phlebotomia? Quidam è latere læso faciendam esse suadent, Dico temerarium esse, sanguinem, & humores ad partem debilem, & læsam, convocare. Quare ex sanioribus est celebranda sanguinis missio, ita ut si unum brachium resolutum sit, vel ex brachio sano, vel ex pede sano ejusdem lateris. Si ambo brachia, ex crure vacuabimus: eaque scarificabimus, vel Hirudines Hemorrhoidibus imponemus. Hæc dicta sufficient.

Exem-

Exemplum.

GVtta serena suborta in Iuvene valido ex defluxu humoris crassi, à capite descendentis ad utrumq; nervum opticum, & ipsum oculum: qui cæcus mansit.

Exemplum.

MErcator hujus civitatis robustus, & in flore ætatis suæ constitutus, corripitur Gutta serina, non solum ex intemperie capitis, sed & ventriculi, jecoris, & bilis, quæ cum ad superas partes regurgitaret, nempe ad nervos opticos, eos quasi adurens, & exiccans, spiritui visorio negavit transitum: Et cæcus evasit.

Horum morborum causas, essentias, vos non ignorare prorsus confido. Et dico pro priore aliqualem spem allaturam fore salutis, cum causa sit pituita decumbens ad nervos opticos, quæ incidenda, detergenda, & evacuanda erit.

Inter reliqua autem summè laudo venæ sectionem, sic & Setaceum, ad materiam excitandam. Vel cauterium actuale in nuca, vel in brachio, quandoquidem non tam vacuatione, quam revulsione opus sit: cum totum corpus abundet pravis succis, & humoribus.

Sed de secundo, præsagium triste elicio, quia nervos jam acriori humore exsiccatos, &

quasi

quaſi corrugatos,admodum difficile,imo nequaquam humectari poſſe & experientia, ratio, & locus demonſtant: licet nonnulli ſummam ſpem in decoctis humectantibus, & emollientibus ponant. ſed fruſtra.

Quæſtio.

Num ex Arſenico ſublimato citra aliquod toxicum poſſit Homo incidere in Guttam Serenam,aliamve cæcitatem?

Res eſt certiſſima. Nam ſublimatum eſt venenum,valde calidum.Ex Avicenna Tract. 2.lib.2.cap.49. de Arſenico: quare recte ille loquitur: Quod ex eo ſublimatum eſt, & ex eo album eſt,interficit. In hunc ſenſum ſcripſit Valleriola lib.1. obſ. cap.6. Baccius lib. de prologomenis venenorum pag. 21, Arnold. de Villa Nova lib.1. & 8.

Quare ſi hoc venenum interficiat totum animal, quanto magis actionem illius, nempe viſum,& auditum.

Deinde ſi venenum peſtiferum exſtinguit facultatem memoratricem, reſolvendo ſpiritus, & facultates principes deſtruendo, ut ait Galenus lib.de diff.ſympt.cap.3. Et lib.2. de cauſ.ſympt. cap.ultimo, & videbis Hiſtoria. 44. Doctiſſimi Doctoris Zacuti Luſitani lib. praxios admir. Hiſtoriarum,quanto magis ſublimatum à tota ſubſtantia venenum.

Inſuper, ex radiis Lunæ fit Apoplexia, & animalis facultas omnino aboletur, ut inquit

quit Macrobius lib. 7. ſaturnal.cap. 16. cur à Veneno non reſolvetur cerebrum & mortificabitur, & exſtinguentur & reſolventur ſpiritus animales, qui ad opticos deferuntur?

Adhuc, ſi ex fulmine Apoplexia oritur, ex Benivenio cap. 13. de abditis, quia cerebrum mortificatur, ſpiritus diſſolvuntur; cur Apoplexia, & cæcitas (nam Apoplectici nihil vident) non fient à veneno ſublimato reſolvente?

Quod hoc verum eſt probat Cardanus lib. 2. de ſubtilitate, Muſa 1. acut. Scaliger. exercitatione. 13. de ſubtil. imo ex horrendo terræ motu, ex ſono bombardæ ex Amato 3. cent. 22. & Geraldo, libro de terræ motu. Cur ita? quia ſtupefacta natura recolligit ſpiritus ad intus ſanguinem, qui uniti ſuffocantur, & reſolvuntur: ergo ſi ſuffocati reſolvuntur, quanto magis ſublimato abſumpto?

Vltimo. Non dubito etiam quod à nimia caliditate arſenici humores lenti, & viſcidi in cerebro, oculiſque contenti; ſint attenuati, & liquati, & ſic ad cavitatem opticorum delapſi, obſtruerent cavitates opticorum.

Quare cæcitas ex ſublimato accidit, vel reſolutis ſpiritibus, vel exſtincta facultate à vi venenoſa.

De remediis quid dicam? exhibe ſtatim, huic Guttæ Serenæ, à veneno ſcilicet ſubortæ, Mitridatium, Theriacam, confectionem Alhermes. Si plura deſideraverit lector, legat

Doctissimum Zacutum lib.de praxi admiranda observ. 52. Hæc itaque pro virium tenore huic quæstioni dicta satis.

Exemplum. De Ophthalmia.

IVvenis ætatis suæ 17. annorum oculorum Inflammatione per intervalla laborans, purgantibus exhibitis pharmacis, venæ sectione celebrata, & cucurbitulis appositis, à me persæpe ab Ophthalmia liberatur: sed cum tandem mrecrudesceret morbus, & se, quasi per telam araneam, videre conquereretur, præmissis universalibus, arteriam temporalem incidendam jussi; qua secta, dolor cessat, mitescit inflammatio, & sanguis ad oculos confluere assuetus, sistitur: Et facto fonticulo in brachio juvenis iste, qui per aliquot annos cum periculo sui visus vixerat, sine ulla oculorum inflammatione vitam transegit.

Quæstio.

N*Vm liceat scindere arterias securè in similibus affectibus*?

Secandas esse arterias in temporibus docuit omnium primus Galenus lib. 13. Methodi capite ultimo in fine, dum remedia parat oculis imponenda, post ea nullum aliud invenit magis præsentaneum auxilium, quam ipsas arterias radere, quia vacuatur causa mali:

li: nempe vaporosus & calidus sanguis, qui lippitudinem diuturnam generat. Est & quando calidus sanguis vaporum plenus ad caput ascendit, & maxime in arteriis redundat. Quam sententiam sequitur Fernelius lib. 2. Methodi cap. 18. de arteriarum sectione.

Exemplum. De Scirrho, in Lacuna palati circa uvulam suborto.

VIcinus meus Arnoldus textor laboravit fluxione catarrhosa, quæ ita delapsa est in nares, & gulam, ut hanc partem in tumorem crassitiemque elevaret, & ita semper materia in majori copia defluente palatum juxta gulam intumuit simul cum ipsa gula, ita ut totus tumor quasi unus fieret, simulque versus linguam accedens, loquelam abstulerit, respirationem impedierit, & diglutitionem. Hic cum quatuor mensibus periculoso hoc Scirrho deploratus & ab omni ope medica destitutus laborasset, subito exstinctus est.

Zoilus quispiam imputabit crimen Medico, quod in hoc extremo malo nihil tentaverit in salutem hujus ægri, edoctus à Galeno lib: 5. meth. 11. qui sic loquitur, Quando unica salutis via est, ea licet cum periculo tentanda, nam melius est aliquid agentes nos periclitari, quam ægrum spe omni adempta, certo perire: Quia, dicit Corn. Celsus: Vehementi morbo succurre vehementiori auxilio.

Sed pace ejus ita ego : Equidem verum est, nos oportere statim huic malo admovere adjutrices manus: sed remedia localia nec adhærere , nec perseverare possunt in parte affecta ; præcipuè si caustica sint, quæ huic magis conveniunt; & si ferro,igneque utaris cum Hippocrate, plures sequentur noxæ, attractio nempe humoris ad partem affectam, sic & Hæmorrhagia nimia,& ita mors: quod infortunium ne nobis contingeret , fugiendum suasimus id remediorum genus, ægrum Deo & naturæ commendantes,qui eum brevi ex hac lachrimarum valle eripuit.

Exemplum.

SAtis periculose laboravit anno 1637. 4 die julii ægrorum orphanorum mater tenellæ complexionis fæmina, nempe pulmonum Inflammatione, quæ περιπνευμονία Græcis dicitur, quæ post multa & varia administrata incassum remedia, tandem Cucurbitulis siccis, costisque appositis,miraculose à morbo convaluit.

Curare morbos ægrorum,quibus deest virium robur, admodum difficile esse prædixit Galenus lib.9.method.cap.16. nam quod affectus remedium est,id cum virtutis custodia pugnat ; Quo pacto in virium debilium præsentiâ, & in parte affectâ, pro cujus curatione virium robur servare debemus , necesse est,

eſt, paulatim evacuare, & paulatim pro eo ſalubre reponere: Demum, ubi vires debiles ſunt, partiri evacuationẽ convenit. Et, ut cum Galeno loquar lib. de curat. per ſang. miſſ. 11. nulla alia inflammatio robuſtiores exigit vires, quam pulmonis, & pleuræ inflammatio, & quilibet alius humor, qui in thoracis parte conſiſtit. Quoniam ut citatus ait auctor lib. 2. prognoſt. cap. 67. multoties humor in thorace contentus concoquitur, multoties non concoquitur, nec ob debilitatem expellitur facultatis thoracem moventis, quare idem recte in hunc ſenſum ſic fatur: *Vna ſalus eſt virium robur, ut videbitis lib. 5. meth. 10. tum pleuriticis, tum peripneumonicis &c.* adjicio Aſthmaticis, Orthopnoicis, & aliis omnibus qui ſpirandi difficultate laborant, ob humores à capite deſcendentes in pulmones: qui ſi acres & putres ſint collecti in loco, & circumſcripti, utpote in pleura, & pulmonis vaſis, faciunt inflammationem; ſi vero multi, & craſſi citra putredinem, pariunt aſthma, Orthopnæam; & quia ſunt collecti, obſtruunt, liberamque reſpirationem impediunt, unde ægri coguntur anhelare & ſtertere, & multoties ſuffocato pulmone, & ſic impedito refrigerio cordis, quodque à fuliginibus non expurgatis obrutum, exſtinguitur, uti nonnunquam nobis videre licuit.

In inflammationibus pleuræ, pulmonis, pericardii, ſepti, nulli dubium eſt, quin ſit

mittendus sanguis, ut jussit Galenus 2. acut. 11.& lib. de sang. miss. 16. & 4. acut. 72. Attamen cautè, & minus quam affectus desiderat, ne forte vim animalem debilitemus, & spiritum animalem cum spiritu evacuemus, cujus ope nervosæ pectoris partes, quæ semper sustentantur auxilio animalis facultatis, debilitentur, ita ut non concoquatur humor, & si coquatur non expellatur: quia ergo hæ partes Thoracis maximo indigent auxilio facultatis animalis, & nervosi generis, & hæ nimis labefiunt sanguine misso, quia frigidæ sunt, & exangues, & utuntur instrumento tenuissimo, nempe spiritu animali: idcirco in his affectibus, in initio, quando vires sunt liberales, febrisque viget, sanguis mittendus est. Procedente vero morbo parcius. Sed si ob virium debilitatem refugias venæ sectionem, & æger in ipsa accessione periclitetur de suffocatione, à parte affecta est revellendus humor, frictionibus crurum, ligaturis, Clysteribus acrioribus. Et cum inter revellentia auxilia, nullum aliud melius revellat cucurbitulis, teste Galeno 7. aph. 1. eas à planta pedis usque ad costas non semel applicarem sed sæpius, uti feci, in hac mea ægra matre, quæ (ut exemplum habet) brevi sanitati restituta fuit.

Hæ præterquam quod revellant à Thorace, ex Galeno lib. de scarif. etiam pectus dilatant, naturam levant, humorem coquunt,

cor obrutum liberius reddunt, & gravatam naturam levant,& refocillant.

Nota ſcarificationem non ita infirmari quæ proxima venæ ſectioni eſt, 2.aph. 17.

Eximie Dom. Doct. & professor PLEMPI.

NI certus eſſem de tua erga me,meoſque benevolentia, non tam audacter ab Excellentia veſtra quorundam dubiorum ſolutionem afflagitarem; ſed tua fretus bonitate propono ea.

Exemplum. De puero ſine Pulmone.

QVatuor annorum puer maraſmo extinctus,obiit. Animi cauſa à me ſecatur cadaver, cuius hepar dum inſpicerem erat ſupra modum magnum, habebat abſceſſum prope venam cavam, circa partem gibboſam pure circumquaque obductam, lienem boni coloris,& integrum; omentum nullum,aut vix conſpicuum; Pulmones, mirum dictu, nullos, quorum loco erat veſicula membranoſo flatu repleta,venulis exiguis munita,originem ſumens ab ipſa aſpera arteria; quæ refrigerium adferre videbatur cordi.

Hæc de noſtro exemplo raro, cujus rationes una mecum ſcriptis, & quæſtionibus ſi perſcruteris, me mactabis, qui manebit

ad omnia tua obſequia,etiamſi graviſſima

Servus Nicolaus Fontanus,cognatus.

raptim 20. *Dec*.1638.

Praillustri viro Domino

NICOLAO FONTANO,
Medico, cognato, S. P.

VIdi exemplum tuum, de quatuor annorum puero marasmo extincto, mirâ loquentiâ descriptum.

Insolens profecto est, & inter raras observationes recenseri dignum. Quid? hominem posse sine pulmonibus vivere? Sed natura aliquid substituit, quod pulmonum vice fungebatur. Ita solet eadem divina parens partes alias deficientes vicario aliquo supplere.

Hic, vesicula illa membranosa pulmonis loco fuit, quæ quia ab aspera arteria originem sumebat, aërem externum recipere potuit ad cordis refrigerationem.

Quia vero fortassis non satis copiosum aërem cordi subministravit, neque etiam satis liberè cor à suis fuliginibus expurgari potuit; hinc in Marasmum incidit præfatus quatuor annorum juvenis, intenso scilicet nimium cordis calore, atque idcirco corpus præpropere exsiccante.

Hæc sunt quæ super exemplo tuo raro ex tempore dicere habui: propter quæ, si te mactaturus sim, præter, & contra mentem meam id accidet. Salve. Raptissime Amstelodami 29. Decembris. anno 1638.

Tuus Cognatus,
V. F. Plempius.

Exem-

Exemplum, de levi Pleuritide.

JUvenis 20 annos natus leviori pleuritide decumbens, fomentis calidis, absque venæ sectione,& clystere emolliente injecto, pristinam recuperavit sanitatem.

Miraberis forsan & jure merito quod huic non inciderim venam hac ætate, & pleuritide laboranti,cum Hippocrates 1. acut. 8. in omnibus morbis acutis sanguinem semper miserit,ut confirmat Galenus lib.4. acut.19.

Hoc licet verum sit, tamen in hac me minimè errasse æquus judex facile perspiciet: quandoquidem hæc pleuritis mitior fuerit, & sanguinea, quæ cum minori est dolore,ratione sanguinis omnium humorum mitissimi.

Quare rectè mihi fecisse videor quippe qui solis fomentis hoc malum debellaverim secundum doctrinam Hippocratis qui lib. 4. acut.11. sic dixit: *Lateris dolorem si is per initia, sive postea abortus fuerit, tentare calidis fomentis resolvere,non abs re existit*.Ideo si pleuritis sit mitior, ut in meo fuit ægro, & cum pauca materia,atque benigna,fomentis citra venæ sectionem est curanda, ut Galenus monuit in commento: his verbis: *pleuritis vero fortis phlebotomia curanda est.*

Exemplum, de Sputo cruento mirabili.

FAber ferrarius *Cornelius Bol-hamer* cum sanguinem rubrum, tenuem, flavum, spumo-

mosum cum tussi vehementi, & sine dolore ejecisset, facto prognostico de difficili curatione, imo vitæ periculo, repetita sæpissime de die venæ sectione, huic malo valde accommoda, ab orco liber evasit.

Annotatio.

Notabis sanguinem sursum ferri semper malum esse, & cum febre pejus: duo tamen excipies, nempe fluxum sanguinis per nares, qui salutaris est, & plenitudinem corporis deponit: & vomitum ex suppressis mensibus, quod docet Hippocrates 5. aph. 31. Mulieri sanguinem vomenti menstruis erumpentibus, solutio.

Dubium.

SI Galenus in quamplurimis locis tantopere amat pro sanguinis sputatione per os, phlebotomiam, cur detestatur eam, lib. 6. epid. sect. 4. com. ultimo, ubi in cruenta exspuentibus aversatur sanguinis missionem: cruenta sputa rejicientibus impediuntur sectâ venâ?

Gravis hæc est sententia & quæ hactenus male torsit interpretes. Ejus tamen solutionem, laconicè prolatam sic habe. Galenus in lib. 5. methodi, & ubique passim, in cruento sputo approbat phlebotomiam ex intervallis factam; at vero in Epidemiis Hippocratis reprobat copiose factam. Solvo secundò, Galenus in Methodo in sputo merè cruento, &

ex

ex pectore erumpente confirmat venæ sectionem, quia hoc sputum fit exesa vena vel rupta, vel rarefacta. Hippocrates in Epidemiis interdixit phlebotomiam in cruento sputo permixto cum pituita, quod sputum si in pleuritide appareat mitem pleuritidem significat, quæ sine venæ sectione, sed solis fomentis & suapte natura persananda est, de qua intelligendus Hippocrates 2. acut. 1. & hæc breviter sunto satis pro tam ardua antinomia.

Exemplum de Corde admodum magno.

FIlia septendecim annorum *Neeltje Stampers* Orphana Paralytica; sine manifesta causa subito suffocatur. Secto ejus cadavere: cor inveni duplo majus corde ordinario, auriculas ejus maximas, venas, arteriasque aqua & sanguine nigro grumosoque admodum distentas. Ita ut diceres hanc Hydrope Thoracis laborasse.

Rés notatu dignissima, sed quod omnem humanum superat captum, est, quod nunquam animi deliquio, cordis palpitatione laboraverit, nec unquam mæsta, aut suspirabunda fuerit, neque circa cor dolorem, ut adstantes retulerunt, senserit.

Exemplum.

HUic fere ſimile mihi ab aliquot annis communicavit Excellentiſſimus Medicinæ Phænix, & Dominus, LudovicusNonnius apud Antverpienſes Medicus celeberrimus de Hyacintho Burga trium annorum, Nobiliſſimi domini de Burga arcis Antverpienſis Præfecti filio, qui etiam repente obiit. Aperto cadavere ab Excellentiſſimo Doctore Nonnio, præter atrum ſanguinem in cordis cavitate, & ſeroſitàtem in capſulâ cordis inventam, repertus abſceſſus eſt, inſtar ovi prope ſiniſtram cordis auriculam: ſed hic illo quo cruciabatur tempore admodum mæſtus, & gemebundus, vixit.

In corde, membro nobiliſſimo, & nativi caloris ſede ac domicilio, plura, eaque monſtroſa innaſci poſſe, frequentiſſimis auctorum teſtimoniis ratum eſt.

De iis Columbus quamplurimas, eaſque prodigioſas enarrat hiſtorias: Sic & Benivenius libro de abdit. Rerum cauſis cap. 35. qui in corde abſceſſus, tubercula, ulcera, apoſtemata, tumores (in quibus vermes, calculi, crines, callus, pus ipſum fuêre viſa) propriis oculis vidiſſe aſſeverat: etiam Veſalius lib. 1. de fabrica. cap. 5. Hollerius lib. 1. de morbis intern. In commento. cap. 29. Iacotius com. 1. ad comm. 52. lib. 3. ſect. 2. in Coacas Hippocratis. Vidus Vidius lib. 7. cap. de curatio-

ne

ne membratim, & Marcellus Donatus lib. 5. de Med. Hist. Mirabil. cap. 4.

Hæc rara sunt, & anatomicorum sectionibus animadversa. Hos ægros, in quibus hæc notantur, semper ante mortem, de syncope, lypothymia, cardiogmo, palpitatione cordis, aut aliis thoracis affectibus, ex quibus, veluti propinquus fomes mali in cor, ejusque ventriculos continuo, & veluti in orbem scaturit, conquerentes audiverunt, quod docte animadvertit insignis Laurentius lib. 9. de Re anatomica quæst. 18. de aulico quodam, qui subita respiratione, pulsu, & vita privatus, obiit, cum antea obambulans serio cum magnatibus colloqueretur: etiam Columbus, & Marcellus, imo Scenkius lib. 2. obs. de corde, qui nunquam hominem viderunt corde affecto, citra aliquam noxam prçviam, vel affectiones quamplurimas; quas nequaquam ex hujus ægræ, nec adstantium relatu audivimus: nam hæc etiamsi esset Paralytica, tamen hilaris admodum vitam finivit.

Quid ergo dicendum de hujus ægræ subitaniæ mortis causa?

Eam non ad cor, sed ad pulmones catarrhali materia infertos, referendam dicerem, sic & ad resolutionem, debilitatum cerebrum, & catarrhum suffocativum. Quid enim mirum hanc resolutionem concussam, & cerebro, partibusque animalibus debilitatis, multam pituitosi sanguinis, & crudi sa-

burram progenuiſſe : quæ in pulmones delapſa, utpote debiles, & magnum conſenſum cum partibus nervoſis habentes, ſubitam mortem (denegato aëre libero,cordi) introduxit : Et cum hæc, in tanta copia, materia ichoroſa, & cruda in pulmonibus impacta eſſet, eam ultimo conatu, violentoque motu,cum expelleret natura ad cor ſibi vicinum, ejuſque ventriculos expulit, unde ſinus cordis delacerati,vaſa diſrupta,& ſic magna ſanguinis crudi copia,in corde,inventa eſt.

Neque bonum argumentum quempiam feciſſe puto,qui mortis hujus cauſam in cordis affectum retulerit, quod cor duplo amplius inventum ſit, & auriculæ ejus majores quam eſſent in ſtatu naturali:neque enim exiſtimo citra noxam ullam, ut dixi, affectum cordis ante mortem potuiſſe vivere filiam, quin de ea conquereretur: uti fecit Dominus Borga qui abſceſſu auriculæ cordis cruciatus, mærore & ſuſpiriis obrutus,periit.

Materia ergo catarrhoſa in cor inſiliens, mortem acceleravit, non concretus niger ſanguis, aut ichoroſus humor, multo minus cordis moles ; quam ego citra dubium naturalem fuiſſe non dubito; nec dubites, nam in multis cor valde exiguum eſt,& in aliquibus non inventum, auctore Plinio lib. 11. cap. 37 Cælio Rhod. lib. 4. Antiquit. cap. 16. In aliis ſiniſter cordis ventriculus deſideratus, teſte Columbo lib. 15. Anatomiæ. In quibuſdam

cor

cor visitur nativâ forte amplissimum, quos timidos esse profert Aristoteles in problematis. Sic duplex cor notatum à Galeno lib. 7. Anatomic.administ. cap. 11. & Avicenna. 1. 3 Tract. 1. cap. 1. Hæc mea est sententia pro historiæ hujus filiæ expositione.

Sciolus forsan aliquis dicet, ex autoritate peritissimi Lusitani com. in lib. 4. de locis aff. Galeni, inventam fuisse cervam corde gerentem sagittam, à venatoribus huic per annum plus minus infixam, sine molestiis, aut ulla noxa: quo exemplo instructus, objiciet hanc, læso corde, valide potuisse ducere vitam.

Certe hoc animal, si loquendi facultate esset præditum, citra dubium antequam moreretur, se cordis dolores pati responderet. Itaque, ut receptui canam, existimo cor plura mala diu citra evidentem noxam pati posse, non tamen citra læsionem: nam cor princeps membrum in corporis medio locatum, quod affectum si sit, tum sibi, tum aliis visceribus noxam impertit ut lib. 5. de locis affectis cap. 1. & 12. meth. capt. ult. Galenus confirmat.

Exemplum de Syncope.

HOnesta mulier maritum pugnantem videns, suo cum Vicino, in syncopem incurrit. Vocor. & jussu meo, sectione venæ celebrata, curatur.

In

In hac ægra, ob timorem, & tristitiam, pugnantis mariti, sanguis ad cor quasi ad arcem confluxit, quo cor suffocatum, multoties homines mori vidimus, tum quia exstinguitur vis vitalis, ex nimiâ copia, tum quia nequeunt spiritus per vasa meare, quorum penuriam partes extimæ sentientes, marcescunt, & exstinguuntur.

In timore, seu magno animi pathemate, sanguis non ad cerebrum, non ad partes superas, sed ad venam cavam, arteriam magnam, statim irruit, easque opplet, & obstruit; in tantum, ut præexistens sanguis sistatur, qui firmatus, exeuntibus fere exstinctis spiritibus, coalescit.

Cognosces Syncopen cardiacam, quia in partibus internis adest angor, & exsolutio, acsi manu cor comprimatur. Color è viridi in pallidum mutatur. Pulsus est intermittens.

Præfocantur ægri, quia ex illa sanguinis coalescentis copia, obstruentisque ac gravantis, vasa illa & canales obstruuntur, enervantur vires, conculcati exstinguuntur spiritus. Affectus sane periculosissimus.

Quid faciendum si subito hic casus evenerit? Docui hoc proprio exemplo, & una mecum Hippocrates lib. 4. acut. 23. dum inquit: Venam brachii dextri iis secare oportet, sanguinemque auferre, idque secundum habitum, ætatemque.

Vena interna velocissime, & plurimum ex

ex iis, quæ principes ſunt, partibus, corpus evacuat, atque hæc in acutiſſimis ſemper ſecanda morbis ex Galeno 2. Acut. 11. & lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 16. & 4. de ſanit. tuend. 4.

Ne ergo in tanta virium penuria Medicus prætermittat venæ ſectionem, quæ ſolam nativam caliditatem obrutam levare poteſt. ſicut enim ignis obrutus multa lignorum congerie ſuffocari ſolet, præſertim ſi ſint humida & multa; ſic ſanguis ob copiam increſcens, & nimium auctus, nativum exſtinguit ignem: Quare, inquit Galenus, 4. acut. 111. ſicut ignis emicat extracta lignorum multitudine, ſic nativus calor obrutus, extractâ copiâ, per venæ ſectionem ſeſe recreat.

Quod ſi omnino ancipites ſimus, ob extremam virium jacturam, & pulſus fere abolitionem, & tale auxilium in hoc caſu exequi non valeamus, tunc loco venæ ſectionis cucurbitulæ coſtis, vel fæmoribus, ſcarificatæ, imponantur.

Si forſan ſanguis menſtruus retentus, & ad ſuperas partes reſtagnans, ſyncopem creat cardiacam, Hirudines ano imponantur.

Vſus iis fuit ipſe Galenus lib. 5. de locis, cap. 1. in cordis palpitatione: & ego in Viro obeſo, craſſo, qui talem palpitationem cordis, ſimulque ejus pulſationem, patiebatur, ut ii qui in fine cubiculi erant, ſonum, ſeu pulſationem auribus perciperent: certe non datur

huic

huic secundum auxilium in cordis oppressione, suffocatione, palpitatione, aut pulsatione: vel etiam in frigido affectu, & flatu abundante. hoc exercuit sæpissime Paulus in iis affectibus periculosissimis, prius exhibito vino aquâ frigidâ permisto.

Si autem plura, de syncopes curatione, qua, concreto in venis sanguine, ægri subitò moriuntur, scire aves, lege Petrum Salium lib. de cur. morb. cap. 4.

Exemplum. De Strumis.

IV venis, strumis, quæ gulam, asperamque simul arteriam adeo compresserant, ut neque potus, vel ipse aër transire posset, intermoritur: dissecto cadavere, repertæ fuerunt in orificio stomachi, pulmonibus, omento, mesenterio, pancreate, ipsis intestinis, & circa vesicæ collum.

Antequam à nodis, seu strumis decedam, unam quæstiunculam proponendam operæ pretium duxi. An Nodi curabiles, & cur sint tam difficiles curatu? Quamvis Regius ille summus Medicus Laurentius hosce curabiles judicat lib. de Strumis; tamen ego eos admodum curatu difficiles vel incurabiles dicerem: partim ob propositum meum exemplum, partim etiam ob has rationes: Si levia imponas, durities humoris refragatur, & renititur. Si fortia, urentia, caustica, imo ipsum ignem,

ut liquetur, absumatur, glutinosus humor ad concalfactam partem sanguinem trahet, cujus vi humores isti lenti concoquantur; qui concocti, duriores remanebunt: uti proprio experimento adinveni. Et quis mortalium tam jactabundus inveniretur, qui similes strumas, purgantibus, sudorificis medicamentis, vel unguentis, oleis, aut emplastris (ut nonnulli jactant) curaret, quarum originem non post aures, sed ex internis visceribus habeamus.

Exemplum. De Vomitu continuo.

FÆmina quaedam quinquagenaria in vomitum continuum à pituita viscida in stomacho contenta, & bilioso humore à jecore ad os ventriculi confluente, septimo die superveniente febre, piè in Deo exspiravit.

In omnibus morbis, quos humanum corpus patitur, nullus est, qui majorem terrorem incutiat, & periculum minetur Vomitu. De cujus causa, signis, prognosi, & curatione tam universali, quam particulari, pro salute aegrorum, jam latè deceptabo:

Multa sunt Symptomata, quae ventriculum premere, ac fatigare solent: ructus, oscitatio, singultus, nausea, vomitus.

Ructus à materia flatulenta fit, quae in tunicis ventriculi imbibita ipsum irritat, & flatuosam materiam ructu naturae foras expellit.

lit. Et cum habeat materiam frigidam pro causa medicamentis calidis curatur: quæ non tantum discutere, sed roborare queant, de quibus postea.

Oscitatio: nostra lingua (*geuvven*) est quandoque futuri singultus, aut alterius frigidi affectus, nempe Hydropis, præsagium.

Hæc cum à materia tenuiori oritur, minus fortibus medicamentis est debellanda: sed fortioribus singultus, quando à nebuloso, turbido spiritu, crasso, & caliginoso originem ducit, cui multa pituitosi crassique humoris copia est permixta, qui villis stomachi infixus ipsum ad excernendum cogit, quem natura expellere non potest, nisi excitato ructu. Iisdem medicamentis nausea, seu satietas nauseativa curanda.

Hæc à Vomitu differt in causa, quia, licet in utroque affectu, humoris crudi in ventriculo, copia adsit, in nausea retentricis facultatis vitium non adest, quæ inest vomitui.

De quo affectu modò disputandū, qui signis facile percipi potest: Non enim solum natura mucosum humorem expellit, sed debilitata, retinere non potens, multo minus alimentum seu liquidum, seu crassum reservare valet.

Vomitus ergo est Symptoma, cujus vi alimentum in ventriculo non retinetur, sed vomitu ilico expellitur. Qui multiplices sortitur causas.

Aliquando est per propriam ventriculi affe-

affectionem, aliquando ab aliis partibus vitio communicato.

Qui in locis frigidis & humidis sese non bene vestiunt, & crudis vescuntur cibis, multam pituitosi humoris acervant copiam, nam iis hi ventriculum valde refrigerant; sic studiosi, mæsti, & soliciti vitam degentes, quia calido innato debilitato, debilitatur ventriculus. Qui potum frigidum jejuni bibunt, inediam, & abstinentiam patiuntur, corripiuntur hoc affectu. Hunc etiam creat nimia per aliquam partem sanguinis excretio: ut per uterum, nares, Hæmorrhoides, vulnera, & illi qui superpurgationem passi sunt.

Exhausto enim sanguine, & spiritu, resolvuntur naturales vires, ita ut minuatur internus ventriculi ignis, & introducatur frigiditas, quæ hujus affectus immediata causa est, à qua mucosi, lentique gignuntur humores.

Aliquando vomitus accidit per consensum ab utero, liene, jecore. Ab utero: quando ex semine retento spurcissimo, aut sanguine menstruo suppresso, elevatur aura venenata, quæ ventriculi vires labefactat, & facultatem retentricem relaxat. Hoc accidit virginibus, viduis, aliisque salacibus fæminis, & quæ viri consortio orbantur.

A Liene: quando atri humoris copia turgescit, ater teterque vapor in ventriculum confluit; qui retentricem vim maxime profligat.

A je-

A jecore: quando nimis ignescit, & biliosi humoris copiam progignit, qui humor à jecore, genereque venoso corrivatus ad ventriculi os ipsum lancinat, concutit, & premit, & virtutem retentricem ita exstimulat, ut alimentum ante tempus excernere cogat.

Addo etiam à cerebro pituitam descendere ad os ventriculi, quæ crassa cum sit, salsa, & mordax retentricem facultatem ventriculi prosternit, & sequitur vomitus.

Signa redundantis humoris ab excreto percipies facile, nam ad sensum excernitur materia viscida alba, sive à stomacho, sive capite.

Quando vero ab utero, solum vomunt alimentum, quia solum aura, & non humor fatigat.

A liene, materia subnigra est, vel livida fæcis vini colorem repræsentans.

A jecore, materia biliosa est, & amara.

De prognosi nota; quod hic affectus, si perseveret, ægrum vel ad Atrophiam, vel ad obitum deducit, quoniam alimento denegato contabescit animal, & occumbit.

De omnibus Vomituum curis hic mihi videtur agendum, quandoquidem practicantibus persæpe occurrunt.

Qui ex utero vomitum experiuntur, ab iis flatus retrahes ad sedes inferiores, rebellesq; à stomacho, ligaturis, frictionibus, cucurbitulis vel siccis, vel perforatis pro plenitudinis

&

& virium tolerantia. Quod si mulier menstrui suppressione laboret, aut menses non respondeant, venam tali seca. Hirudines hemorrhoidibus affige, purga uterum Agarico, aut ejus pilulis. Pessaria injice, uterum robora fomentis, & emplastris. Si per recursus, & accessiones redeat malum, cauteria impone, quorum vi spursi humores, tetresque vapores expurgentur. Non despicies ventriculum, qui roborandus.

Si à cerebro Vomitus concitetur, Rheumate multo defluente ad os ventriculi, purga caput, & ventriculum pilulis de Hiera, Alephang. Mastichina, & Agarico. Conforta caput fomentis calidis, cucuphis. Sudorem moventia sunt optima, ut Radix Chinæ, Salsæ, Sassafras.

Si vero habitualis Intemperies corrigi non posset, quo minus ex ea crassi humores gignantur, tunc necesse est eos continuo regenitos derivare ad latera, cauteriis in brachiis excitatis; quæ magis laudo, quam synapismata, & ulcuscula capiti adhibita, quæ celebrabant antiqui: quoniam humor ignis vi liquatus, fit liquidior, & sic citius descendit in ventriculum.

Si ex liene eveniat, difficillime curatur, quia crassus terrestrisque humor vix medicamentis succumbit. Si corpus plenum sit sanguine melancholico, seca basilicam, aut salvatellam lateris sinistri, quod Galenus fecit, lib.

lib.3.de loc.cap.7.Ita melancholicos plenius evacuabis,ut idem teſtatur lib.de cur. rat.per ſanguin. miſſ. cap.12. quia multum de ſanguinis fæce habent. Humorem nigrum præpara decocto fumariæ, meliſſæ,polipodii,boraginis cui adjecti ſunt ſyr. de rege Saboris, de fumaria,de boragine,&c. Deinde corpus expurga confectione Hamech:Hamech dico, quæ multum ab Amſteldamenſi nova deſcriptione variat. Diaſenna,ſyrupo roſ. lax. cum fol.ſenæ. Agaricus, Turpethum,*Elleborum*, proprietate quadam humores melancholicos educunt. Nam humor tenaciſſimus medicamentis levioribus non cedit facile.

Hirudines mariſcis affige, quia cum à ramo oriantur ſplenico hunc peccantem humorem exhauriunt.

Hæc omnia ſi non proſint,fontanellam in crure ſiniſtro ure, cujus vi terreſtris fæculentuſque ſanguis vacuatur, magis tamen probo fonticulos ſupra regionem lienis ponere: quod ſummo cum levamine feci in honeſtiſſima muliere hoc malo, per duos annos gravata,qui cum aperti eſſent,& fluerent bene,nunquam poſt illorum applicationem iterum conquerebatur de graviſſima moleſtiſſimaque paſſione melancholica antea eam excarnificante.

Hæc præſtantiſſima ſunt remedia ſi ſolum humores crudi exſuperant. At vero,ſi febris acceſſerit, cautè procedendum: nam febris humi-

humida expoſtulat & frigida, humorum autem cruditas calida,& extenuantia deſiderat. Demum majorem medici ſolertiam expoſtulat Vomitus,quando ex phlegmate impacto in ore ventriculi, oritur, & ſimul dependet, & fovetur ab humore, à jecore calido emanante: nam ſi calida exhibeas, excandeſcit jecur, humores ſuapte natura calidi, utpote bilis, magis irritatur: magis neceſſe eſt ergo,ut ſi huic indicationi ſatisfacere velimus frigida exhibeamus,quę cum craſſum & viſcidum humorem in ore ventriculi contentum incraſſant, etiam ſommopere nocent. Quid ergo agendum? ſuaderem cum Avicenna cap. de debilitate ventriculi, uti tali medicamine, quod intemperiem ſtomachi non tranſcendat: quod Hiera eſt. Dices hæc exhibenda & ſimilia ægris, qui per aliquod temporis ſpatium ea retinent ſed in iis, ſicuti, noſtra ægra erat, quæ ſemper aſſumpta evomunt, quid faciendum? Secundo ſcopo ſuccurrendum eſt,nempe diſtractione materiarum à ventriculo ad alvum,quæ via mihi videtur commodior, quia alvi dejectio huic conſueta eſt & familiaris: ſed ſi per vomitum, ut nonnulli docent (nam vomitus curatur vomitu) ventriculum nimis labefactabis, cujus robur docente Galeno 7.meth.cap.ult.oportet conſervare, quare non temere fortiſſima exhibenda medicamina languente ſtomacho, cujus vis cum toti corpori neceſſaria ſit, reſervanda:

D nam

nam alias miseri mortales ex eorum usu vel in Syncopem, animi deliquium, aut Cardialgiam inciderent facile, ob ventriculi oris nimiam sensibilitatem.

Exemplum, De Canina appetentia.

ANcilla domicellæ Torenenburgh insatiabili appetentia tribus mensibus vexata, & crebro vomitu, postquam vomitivum assumpserat ex Antimonio, & sese vino recreasset post duas septimanas, absumpta drachma una Theriaces, à fame canina evasit.

Famis Naturalis causa à quinque rebus provenire Galenus ostendit lib. 1. de caus. sympt. cap. 7. quoniam Famem naturalem primò sequitur vacuatio. Secundum, quod præcedit est vacuatorum appetentia naturalis. Tertium est ventris suctus. Quartum est hujus suctus sensus. Quintum est appetentia animalis, quæ omnium est ultima. Hæc sunt symptomata quę appetentiam naturalem antecedunt.

Vitiosæ appetentiæ, quæ quidem in quantitate modum excedunt, vocantur à quibusdam, caninæ; tum existunt, cum acidus quispiam vitiosus succus ventriculum mordet. Nam vitiosus succus, qui frigidus est, similem suctui morsum infert. Frigiditas, corpora, & tunicas ventriculi cogendo constringendoq;

ad

ad apperentiam irritat, & caninam facit appetentiam. Hæc est communis famis caninæ causa.

Non nego etiam, quod ex longa inedia, ab alvi profluvio, ex fluxu sanguinis, aut aliqua alia evacuatione, sicut à calore relaxante & resolvente, oriatur.

Auctores Medici, ut sunt Vallesius lib. 1. cont. cap. 20. Fuchsius in com. capitis 17. lib. Gal. de cauf. sympt. Et And. Laur. lib. 6. de Re anatomica quæstion. 26. opinantur, succum melancholicum à liene ad ventriculi fundum delatum, famem naturalem concitare; & si in majori deferatur copia, in caninam. Ratio est, quia Galenus lib. 5. de usu part. cap. 4. id probare hisce videtur verbis: Bilis enim atra cum acerba & acida sit, contrahit ventriculum, & constringit in sese ipsum, cogitque cibos ad vnguem circumplecti atque retineri, quousque fuerint concocti &c. Ex quibus patet usus hujus excrementi melancholici, à natura non esse inventum nisi ad meliorem ventriculi concoctionem; & ex consequenti, cum ipsa atrabilaris acida sit, si in minori copia à liene ad ventriculum deferatur, famem naturalem; si in majori copia, famem caninam gignere est certissimum.

Quare causa famis caninæ est humor acidus, frigidus, melancholicus in ventriculi tunicis impactus, pro ut Galenus probat lib. 2. aphor. com. 21. sive hi succi acidi per se abun-

dant, ſive cum intemperantia frigida ſint conjuncti. Quapropter,ſi hæc fames canina à vermibus oriatur,neco vermes amaris.Si ex nimio fluxu,& inanitione,ut in convaleſcentibus,curo cibis boni ſucci parum & ſæpe exhibitis.Si à calore reſolvente,frigidis exhibitis curabitur.Si ob ſuccum melancholicum à liene ad ventriculi os largius tranſmiſſum, evacuato ſucco melancholico,reſtituetur. Si ab imbecillitate ventriculi frigida, calidis auxiliis,tam intra quam extra appoſitis,ſanabitur. Si à pituita immodica frigida, acida os ventriculi infeſtante,à qua ſæpius fit,vomitivis & evacuantibus pituitam,occurro.

Et in omnibus caninis affectibus exerceo Hippocratis remedium conſulentis curare famem vini potu. Quod in ſe omnes intenſiones habet: roboret,calefacit,aperit,craſſos crudoſque ſuccos coquit, & ſtomacho frigido remedio eſt, uti proprio experimento in hac ægra expertus ſum.

Eximio viro Domino

NICOLAO FONTANO IOHANNIS FILIO Medico,& amico mihi ſemper colendo. S. P.

MI *Fontane*,ab hinc multo tempore paſſa eſt quædam mulier Diarrheam bilioſam, qua citiſſime perſentiſcit Dyſenteriam cum magno nixu, excernens multoties, nocturno,

cturno præſertim tempore, ſanguinem multum cum concreto pure.

In primo inſultu morbum contemnens medicum non accerſivit, qui poſtea vocatus ſanguinem emiſit ſectâ baſilicâ. Rhabarbarum, clyſteria aſtringentia præſcripſit. Quibus omnibus factis, morbus, ut frequenter contingit, non ſuccubuit, & idcirco hujus juſſu te, mi Fontane, conſulo: qui hac in re tuis mihi experimentis non deeris: mihi vero, qui fui, ſum & ero ad mandata tua paratiſſimus *Collega Gerardus Bruyn. VVeſop.*

Anno x. Nov. 1629.

Eximio viro,

D. GERARDO BRVNIO, Med. Doctori VVeſopienſi.

D*Octiſſime Domine Gerarde Bruni*, & epiſtolas tuas mihi ſummopere gratas legi, & exemplum tuum arduum mente revolvi, quod non parvi faciendum, quia acutum & lethale. Quæ petis, libenter do, modo talia, qualia à me ſperas, eſſent: ſed cum longa noſtra fuit amicitia, amice ago, ſperans te boni conſulere quæ à me vel non rite ſcripta vel dicta ſunt.

Numne culpandus, amice mi, quod tam brevem feceris hujus morbi delineationem, quandoquidem adhuc multa deſcribenda reſtant, quæ ad hujus affectus idæam, & eſſen-

tiam enucleandam maxime conducere videntur?

Ais, ab hinc multo tempore hanc Dyssenteria laborare, & de febri nullam mensionem facis, quod mihi maxime dubium est: quandoquidem ab ulcere sordido, & diuturno cor inflammari solet, ex quo febris: deinde ex vigiliis, fastidio, nixu, surgendi frequentia, torminibus, alteratur corpus, quod siccescit; sic, & multa sanguinea materia evacuata spiritus exhauriuntur, quibus omnibus ægram aliqualem maciem sibi acquisivisse autumo, non tamen sine aliquali febre.

Neque loqueris de dolore, an sit supra, vel infra vmbilicum, ut sciam num gracilia, vel crassiora intestina sint affecta: quoniam hoc ad curationem maximi solet esse momenti, teste Galeno lib. 6. de loc. cap. 2. Tralliano lib. 8. cap. 7.

Nam si infima intestina sint affecta, infusa per clysteres juvant; si superiora, per potum assumpta remedio sunt.

Insuper Dysenteria est hic affectus, sed cujus speciei? hujus enim affectus triplicem facit speciem Galenus lib. 4. aphor. comm. 26. Prima, quando est fiens, quâ corpora pinguia excernuntur; Secunda, quando ramenta, & corpora pinguia. Tertia, quando aliqua ex ipsa abraditur intestinorum substantia, quo tempore non adhuc fieri difficultatem eorum, sed factam & constructam esse dico.

Sic

Sic, nihil ſignificaſti de urinis, quæ,licet de genere venoſo ſolum ſignificant; tamen, hæ ſemper inſpiciendæ ſunt, monente Galeno lib.5.Epid.ſect.2.comm.6.

De faſtidio etiam nihil? quod de ventriculi fortitudine, vel imbecillitate multum præſagit, juxta Oraculum Hippocratis: In longis difficultatibus inteſtinorum cibi faſtidium,malum;& cum febre,pejus.

Quare cum nimis ſuccinctè conſultationem tuam propoſuiſti,videbo quidnam generaliter dici poſſit, quod utilitatem aliquam parere queat.

Dico igitur, quod morbus primo fuerit Diarrhea bilioſa, quæ citiſſime in Dyſenteriam degeneravit. Adfuiſſe Diarrheam à bile pronatam,oris amaritudo,ſitis ingens,dolor intenſiſſimus,materiæ profluentis acrimonia ſenſu percepta teſtabantur; qua in recto inteſtino, ob decurſum bilioſi humoris nixus excitati ſunt vehementes,pruritus, calor,dolor, & ſordida ulcera, quæ abſterſione conquievere.

Quod ad præſagium attinet; ne deſpicias alvi fluxum præſertim diuturnum, ex quo pauci evadunt:nam tormina, & febriculas excitat, vireſque conſumit. In hunc ſenſum audi Romanum Hippocratem Celſum lib.de morb.cap.15.de Dyſſenteria: longo tempore id malum cum inveteratum fuerit aut tollit hominem;aut etiamſi finitur,excruciat.

De Aëre, necesse est ut in utroque affectu sit frigidus, & siccus, vitetur æstuans, ne fundantur & liquentur humores. Vitet ignem, subfrigidum sit ejus cubiculum. Cibus sit astringens, & exhibeatur frigidiusculus actu, ut melius increscat; non tantum penetret; ut sunt caro cydoniorum, mespila, pirum austerum, sorba, orisa, ribes, barbares, &c. Lacticinia vitentur, olera, radices, legumina, acetosa, carnes grossæ, fumo exsiccatæ, pisculenta, & alia, quæ vel relaxant ventriculum, vel feriunt, vel aperiunt.

Potus sit aqua chalybeata, vel cerevisia in qua hordeum integrum coctum fuerit.

In initio si vires adsint, corpus sit juvenile, tempus vernum, ad revellendum, ad transpirandum, ad evacuandum, ad jecur refrigerandum, ex qua parte totius mali scaturigo est, præstantissima est sanguinis missio, ut contra multos affirmat Amatus 2. cent. 48. parce celebranda ne geminata vacuatione vires prosternantur. Nec te Galeni textus moveat 1. ad Glauc. 14. dicentis: quod si febris fuerit cum alvi profluvio, alia non est opus evacuatione, licet non sit pro multitudinis ratione; quicumque enim sanguinem emittere, aut purgare tentaverunt in graviora pericula ægros duxerunt. Qui textus perparum à multis intellectus plurima hominum millia jugulavit.

Galenus eo loco non vetat sanguinis missio-

ſionem; ſed tantum monet, ne pro multitudinis ratione ſanguinem mittamus, quia aliquid relinquendum eſt fluxui vires reſolventi. In hunc ſenſum intelligendus Galenus 4. acut. textu 116. qui ſic ratiocinatur: Fluente alvo ſanguinem non detrahes, quia ſi poſt detractionem perſeveret fluxus, virtutem proſternes. Ita verum eſt, quia ut recte ait Hippocrates 1. Aph. 20, quæ judicantur & judicata ſunt integræ, neque movere neque novare oportet, ſed ſinere eſt neceſſe.

Attamen fluente alvo ſymptomaticè irritata facultate expultrice inteſtinorum, à copia, & mala qualitate humoris rodentis, ad evacuandum ſanguinem tenuem, acrem, ad inteſtina fluentem, eaque pungentem, præſtantiſſimam ſanguinis miſſionem eſſe aſſero.

Lege Galenum lib. 4. de articul. qui in Dyſenteria ſolum affici jecur arbitrabatur, & hanc ob cauſam juſſit, cæteris non conferentibus auxiliis, refrigerare jecur ſectione ſalvatellæ manus dextræ.

Hic affectus etiam clyſteribus juvatur, præcipue ſi craſſa inteſtina ſunt læſa: quia in iis ulcus à ſorde, & putrilagine mundare oportet. In Dyſenteria, & Diarrhœa abſtergere, ne forte humor acris, retentus, ulcus creet. Forma clyſteris hæc eſto.

℞ Herb. Plantaginis Mj. Fol. Rosarum rubrarum, Furfuris macri Manipulum semi. Sem. sophiæ sesqui Drachmam.

Coquantur ex aquæ hordei integri Vnciis duodecim. col. Vncias x. adde,

Mellis Ros. Vncias duas (ad abstergendum) vitellos ovorum duos, ad leniendum dolorem, Misce & fiat clyster.

Persistatur quinque aut sex diebus in hoc remedio, deinde ad clysteres magis astringentes deveniendum, & abstergentes.

Non dispicies in clysteribus, dolori cedendi causa, immittere capita papaveris, vel Phylonium Persicum, quod in memet probavi summo cum solamine, hoc malo cum Anno 1625 laborarem.

Medicamentis astringentibus utere, quæ corroborando, & arctando intestina spongiæ instar premunt, & alvum expellunt, ut sunt Rhabarbarum, cortices Myrobalanorum, & similia.

Regio vmbilici fovenda astringentibus medicamentis, & Anodinis, ut decocto ex mentha, plantagine, rosis siccis rubeis, myrtho, sumache, mastiche, & corticibus granatorum. Ungue hanc partem oleo mastichino, cydoniorum, myrtillorum vel unguento Comitissæ.

Ad Tormina præsentaneum auxilium est omentum arietinum, vel vervecinum, jam jam ab animale extractum, umbilico impositum. Loquor expertus.

Potio-

Potiones sint aqua hordei integri, vel cerevisia, vel serum lactis chalybeatum, cum syrupo è rosis siccis, de mentha, vel cydoniis.

Ad somnum conciliandum, ad fluxum retinendum Phylonium est optimum.

Vtere lacte chalybeato, sed prius bene purgato corpore Rhabarbaro, vel syrupo de Cichoreo cum Rheo. Quo suo tempore usus fuit ipse divinus Senex. Et Galenus lib. 2. simpl. 13. renuat licet Amatus 2. centuriarum. cent. 44.

Hæc sunt, quæ à Medicis communiter factitari solent; sed cum hic morbus sit secundæ speciei, mulierque gracilis, extenuata, consultum mihi videtur humorem peccantem biliosum ab Hepate, tanquam ab origine productum, & ad intestina confluentem, ad partes ignobiles divertere; hocque fiet fonticulo cruri dextro imposito, in parte præcipue interna, ut humor à jecore calidissimo progenitus, ad crus, tanquam partem distantissimam, & ignobilem transmitti possit.

Deinde jecur roborandum Epythematis factis ex oleo ros. Vnguento santalino, rosaceo, cum aqua rosarum, & aceto rosarum.

De Balneis hic non agam, sed alias volente Deo.

Hisce omnibus si non succubuerit affectus, de Tabe vereor.

Hisce vale, & si forsan hæc ex tuo atque

ægræ voto non ſucceſſerint, in mentem revoca dictum illud poëticum:

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

Quoniam impoſſibile eſt, ut medicus omnes quos præ manibus habet, ſanitati reſtituat, affirmante Hippocrate 1. prognoſt. 2. quare ſufficit facere id, quod ratio, & experientia ſuadent. Hiſce vale.

Dominationi tuæ addictiſſimus

Amſt. 12. Nov. 1629. Nic. Fontanus Med.

Exemplum. De paſſione Iliaca.

ORphanus ex Iliaca paſſione exſpiravit: inſpecto corpore nullas vidi plicas nec volvulum: ſed circa cæcum inteſtinum vidimus materiam induratam, lapidoſam, inteſtinum extendentem, & ita arctè adhærentem ut Chirurgo magiſtro Alberto Scerm impoſſibile videretur extrahere eam.

Ex hoc exemplo concluderem, nequaquam eſſe involutionem, ut dicunt medici: ſed ſquibalas inſtar ſaxi induratas, inteſtina admodum obſtruentes.

Exemplum, De curatione Iliacæ paſſionis epoto Mercurio vivo.

MIles ſtrenuus, robuſtus, boni coloris, incidens in paſſionem Iliacam, & ab omni

ni medicorum ope destitutus, postquam tres bombardi globulos devoraverat, epoto Hydrargyro, miraculosè curatur.

Exhibere globulos plumbeos experientia certissima sancitum est in Volvulo, in quo fęces per os ejiciuntur, & ubi via illa, quæ camorosam materiam ex ventriculo ad intestina deducit, crassa pituita obstructa est.

Sed in hoc miserabili affectu, quem *Miserere mei* latino-barbari vocarunt, melius esse aliqualem Mercurii vivi quantitatem deglutire ratio dictat, quia Mercurius cum gravis sit, magis deprimit; & duplicatum, ut nonnulli volunt, & ego astrictam accumulatamque alvum in causa esse dicerem, (ut ex hoc & aliis diversis exemplis vidi) vinctumque intestinum, explicat, & dilatat; ut una mecum assentitur Paræus auctor gravissimus cap. de Hydrargyro. Quare in similibus morbis jam desperatis Mercurio utitor. De cujus facultate optime scripsit Fallopius libro de Metallis cap. de Hydrargyro.

Exemplum. De Hepatis Inflammatione.

IV venis ætatis suę viginti annorum, vel circiter, primo die decubuit cum rigore, postquam febris magna increvit, maxima cum siti, vomitu, capitis dolore, lassitudine ulcerosa, anxietate dextri Hypochondrii, ingenti dolore, cum tussi humida, cui vi, crassi, visci-

dique humores aliqualiter excernebantur, cum stertore, difficili respiratione, & spiritalium partium angustia.

Quæritur modo: Num hic morbus sit pleuritis, an Hepatis inflammatio? Nam pro utraque parte variarum sunt momenta rationum, quæ pleiumque doctissimos Medicos fallere solent.

Quod sit pleuritis, videtur argui posse: quia habuit quinque illa signa quæ omni pleuritidi, & soli, insunt. Vt dolor infra spurias costas, febris acuta, pulsus frequens, serrinus & velox, tussis, & respirandi difficultas.

Sed, rem si adamussim contemplemur, hunc laborasse inflammatione Hepatis dicendum est. Nam primo habuit vomitum, qui incipiente pleuritide raro ipsi, aut nunquam adest. Pulsus erat mollis. In pleuritide vero durus, dolor in circumferentia hepatis conspiciebatur. Hic si ad superas costas, & usque ad claviculam ascendit, id per consensum fieri dico.

Tussis in pleuritide est sicca, quia à pleura, membrana crassa ac dura, saniei, per angusta foramina, ilico non datur exitus. Verum quidem est, quod tussis etiam sicca phlegmone hepatis comitatur.

Cur ergo in hoc ægro humida, & cum stertore erat? Quia forte complicata erat affectio Reumatica: Signum evidens, nam stertor crassorum humorum copiam in pulmonibus

nibus imbibitam denotat, veluti in Asthmate, & Orthopnæa contingere solet.

Deinde, quis dubitet à calore febrili multas humiditates in cerebro præexistentes liquatas fuisse, & ad spiritales defluxisse partes?

Duplici ergo hic æger laboravit morbo, & humore crasso contento in pectore, & subtili impacto in jecore, ejusque venis.

Si pro distinctione pleuritidis ab imflammatione hepatis signa distinctiva cognoscere desideras, lege Galenum lib. 5. de loc. aff. cap. 7.

Cura inchoanda à venæ sectione, nam in omnibus inflammationibus præcipue internis, nullam præstantiorem excogitari posse inquit Galenus, & magnus ille Hippocrates lib. 1. Aphor. 23. hac humor fluxurus retrahitur, impactus evacuatur, natura levatur, transpirant venæ, & jecur refrigeratur; ut denique idem Galenus demonstrat lib. 13. meth. dum hepatis inflammationem pertractat.

Sed cum præcipue indicatio, ad sanguinem mittendum, sit virium robur, & noster, æger debilis esset, eam exercere ars dissuasit: cujus loco, cucurbitulam suris, ex Galeni jussu lib. de cucurbit. & 13. meth. 21. imposui. Quæ, quanti sint faciendæ Christophorus à Vega lib. 2. Art. med. sec. 5. cap. 1. & Mercatus lib. 1. indicationum cap. 7. docuerunt. Qui non in tali casu immemores fuerunt

aper-

apertionis venæ, in medio digiti annularis, sitæ: de qua, quid sentiat Hollerius, videbis lib. 1. de morb. intern. cap. 35.

Licet ne, cum Ætio Tet.2.serm.2.cap.68. Et Rhasio nono ad Almanzorem 17.& Avicenna 1.3.tract.5.cap.2. cucurbitulam in ipsa parte dolente scarificata affigere?

Imo, prius corpore rite evacuato, vel à naturâ, vel ab arte; datis emollientibus clysteribus. Quod tam in hoc malo, quam in Colico summa cum utilitate feci, à Celso instructus lib.2.cap 11. qui putat, *cucurbitulam siccam spiritum extrahere; humidam, humorem.*

In initio cave tibi & ægro à purgatione si ex arte curare volueris, etiamsi clementiori: nam facile detrudes humorem ad locum affectum, & phlegmonen conduplicabis: quare utere clysteribus ex parietaria, violis, malvis, hordeo, prunis, cum pulpa cassiæ, vel electuario Diacatholici, & oleo violaceo, vel rosaceo compositis.

Roborandum jecur Epythematis repellentibus, roborantibus, & Anodinis; minime relaxantibus, quorum usu jecur flaccescit: ut lib. 13. Meth. cap. 15. scite Galenus notavit de Attalo, qui Theaginem Philosophum similibus cataplasmatis enecavit.

Sed quæres, num major cura habenda sit distillationis, quam Hepatis inflammati? quandoquidem crassus humor bronchia obstruens attenuantia & aperientia desideret in-

inflammato jecori nequaquam convenientia.

Vtrique esse succurrendum indicationi puto: sed urgentiori, quæ ab hepate inflammato desumitur.

Vtrique succurro ptisana cum Hippocrate 1.acut.18.qui hanc omnibus morbis acutissimis laborantibus fælicissime propinavit: cui nonnumquam addo, si vigilia infestant, syrupum nenupharinum, aut papaverinum.

Iulapia ex aqua endiviæ, acetosæ, boraginis, card. benedicti, cum syrupo violato ex multiplici infusione boraginis, acetosæ & endiviæ, præscribo, quæ ægro hepatis phlegmone laboranti admodum sunt utilia: Attamen urgente distillatione, & multis cruditatibus in partibus spiritalibus imbibitis, non ita procedo. Quandoquidem aliter ab Hippocrate lib. 5.aph.24. didici: qui ita fatur: frigidum inimicum pectori, tusses movet, sanguinem provocat, & distillationes, quia frigidum impinguat, & incrassat humores lentos, eosque arctat, & excerni prohibet. Quare in iis victu abstergente utendum est, & sputum provocante, non incrassante, nec astringente, ut sunt poma assa cum saccharo, vitelli ovorum cum eodem. Evitanda acria, acetosaque. Sit potus leniens ex adiantho, glycirrhysa, & hordio paratus. Sint syrupi boraginis, violariæ comp. cap. veneris. Conservæ violariæ, boraginis. Saccharum altheæ etiam exhibendum. Vires restituendæ jure gallorum, vel vervecis. parum tamen, sed sæpe. Post

Post decimum quartum diem, aut decimum octavum, corpus Rhabarbaro, & syr. de Cichoreo cum Rheo, pulpa Cassiæ, vel Lenitivo expurgabis.

Sed si aliquis in jecore ardor remanserit, & secta non fuerit salvatella, eam seca. & sanguinem fluere sine ad virium tolerantiam: hoc intellige si resolvatur inflammatio; nam si suppuretur cæterarum inflammationum more, extra suppurantibus applicitis, intusque adhibitis eam curabis, excernendo confectum pus vel per vesicæ, vel alvi vias.

Suppurari inflammationem cognosces ex majori febre, dolore adaucto, & Hypochondriorum, imo totius ventris tumore.

Hunc affectum dum suppuratio accidit, lethalem dico, quia hepatis ulcera raro consanescunt.

Exemplum, mirum de Anasarca.

IVvenis Anasarca diu cum laborasset subito incidit in Ictericiam, deinde in Hæmorrhagiam narium, postea vero in subitaneam mortem: in hujus corpore à me dissecto apparuit hepar subalbidum, cum in parenchymate magno abscessu. Lien supra modum magnus, lapidibus albissimis plenus.

Ratio

Ratio est.

HYdrops funestus est affectus ex quo in alios lethales fit transmutatio. in quo cum hepar, scirrhosum sit, & canalis fellis obstructus, bilis ad folliculum fellis transire nequit, sed diffunditur per totum corpus, & morbus Regius repullulat; & cum in Hydrope viscera sint oblæsa, facultates veluti emortuæ, hepar sanguinem retinere nequit & hoc modo hic serosus per nares emittitur, qui vacuatus effusis spiritibus corpori interitum adfert. audi Fernelium lib. 2. de venę sect. cap. 4. dum sic ait: Neque imperitorum more si vel nares stillant sanguine, vel vrinæ rubicundæ sese offerunt, protinus imperanda venæ sectio. Etenim facile sanguis prorumpit non ex plenitudine solum, quodque eam vacuatione moliatur natura, sed cum pluribus ex causis. Quibus enim excsa sunt venarum oscula, quibus etiam viscera, præsertimque jecur imbecillum, vel scirrhosum evasit, iis sanguis sæpe fluit è naribus, aut secus atque Hydropicis.

Exemplum, De Ictericia.

IUvenis in vigore vitæ suæ, temperamenti calidi in Ictericiam incidens gravissimam, tandem, omnibus convenientissimis medica- mini-

minibus in cassum adhibitis, sola venę sectione in brachio dextro celebrata, ab hoc tetro malo evasit.

Sanguinis missionem in Ictero esse necessariam, tum veterum, tum juniorum sententia firmat: præcipue, si febris adsit, sit tempus vernum, vires sint robustæ, floreat ætas, & calida adsit Hepatis intemperies, cujus vi humores biliosi, & calidissimi ab eo progeniti ad cutem dimissi, Arquatum creant.

Objiciet aliquis, malam esse in cutaneis affectibus sanguinis missionem, quia hac facta, humor remeabit ad vasa.

Inauditum argumentum. Nam si in corpore plethorico eam exerceas, tantum abest ut retrahatur humor, quin potius, levata natura, melius excernatur ad partes externas. Exemplum præbet Avicenna 1.4.tract.4.cap. 10. de Variolarum curatione, qui in iis, & morbillis, repletio si adsit, sanguinem emittit; non timens humorum ad internas partes recursum: quam doctrinam, postquam in præscripto, & magno Galeno lib. 6. epyd. sect. 2. com. 30. de Simone legissem, reservavi, eaque semper fere, felicissime usus fui.

Secundo, alter objicere potest: quod icterus ab obstructione oritur, quæ incidentia desiderat, & attenuantia.

Verum quidem esse obstructionem aperientia desiderare, sed ut hæc commodius applicentur, multoties necesse esse ea præsente,

san-

ſanguinem emittere cum Galeno lib. 8.meth. cap.4.qui venam prius ſecat,deinde aperientia propinat: quoniam, ſi citra venæſectionem obſtructionem cures, metus eſt ne obſtructiones conduplices.

Tertio. Non obſtat Galeni textus lib. de med.purg.& lib. de atra bile,loquentis:phlebotomiam in ictero factam, ægros in pernitiem deducere.

Quandoquidem Galenus eam renuat citra purgationem,hoc eſt phlebotomia ſola facta. Quare in ictero ſummam eſſe neceſſariàm hanc judico,ſi adſint rationes dictæ.

Cæterum, ſi corpus debile, ſenile, in quo obſtructiones vigent, adſit internarum partium, nempe hepatis, & lienis durities, morbus ſit Cronicus,vires dejectæ,nocere poteſt: ut quotidie in hydrope,& in iis quibus viſcera corrupta ſunt,experimur.

Exemplum, De Ictero flavo ex debilitate & obſtructione pronato.

INcideram nuper in ſenem quinquagenarium, qui ex debilitate jecoris & obſtructionibus internis ictero flavo oppreſſus erat.Huic plura machinata ſunt auxilia expurgantia, deobſtruentia, roborantia,quibus factis vrina minus erat vinea, vires robuſtiores factæ; ſed cum forte ex humore bilioſo per corporis ambitum diſſeminato pruritus incitaretur, forte accedens alter medicus ex he-

patis

patis intemperie calida pruriginem ortam arbitratus ad ventilandum hepar sanguinis missionem parcam tamen consuluit, sed quo eventu audi; nam vix pertransivit dies quando sequuta virium jactura summa ,,& abdomine in grandem molem intumescente cum pulsu diminuto,& fere intermittente, animam efflavit.

Tanta est venæ sectionis in ictero , ex debilitate & obstructione pronato,pernities.

Exemplum, De Hydrope Aschitis.

ANasarca cum *Mr. Hendricus Persyn* diu laborasset ; non observato bono vitæ regimine , miserrimè cum sicca tussi , crebra respiratione,vitam finivit.

Tres esse Hydropis species inveni:utTympanitis , Aschitis, & Anasarcæ , Hyppofarcæ seu Leucophlegmatiæ nuncupatæ.

A jecoris vitio originem ducere testantur auctores. Et tunc oriuntur cum sanguificationis officium intercidit. Dari Hydropem, jecore salvo , nunquam vidi: si forsan alii, rarum id dico : nisi locuti fuerint de Hydrope particulari. De qua jam acturus.

Exemplum, De Hydrope particulari.

ORphanus quindecim annorum,qui cum livido colore præditus esset;excarnis, & debi-

debilis, reumate affligebatur à multis mensibus; materia crassa, viscosa, & humida, per nares continuo defluebat. Huic nullus aderat tumor, in ventre nulla ad tactum renitentia. Febri tenebatur tenui, & quod magis est, in medio degito magnum habebat tumorem, ædematosum, laxum, & mollem, ad quem exonerante sese natura, & ad partem debilem expellente humorem; factum est, ut humoris pituitosi copia ad eam confluens partem, in pus verteretur, & cum hic humor retentus & prohibitus discuti non posset, putredinem acquirebat, & ita natum est ulcus ex abscessu, in quo corrosio aliqua ossis accidere solet: & cum tantam humoris copiam indies, magis ac magis generatam, natura non posset concoquere, & devincere, factum est, ut ad partem sinistram in cubito, in parte externa, & interna, tumor magnus accideret ædematosus, quem ejusdem esse conditionis cum alio excitato in digito posito in manu dextra, nullus ignorat.

Galenus lib. 5. de locis aff. cap. 5. gloriatur se ex colore multoties hepaticos, & spleniticos agnovisse: nec mirum, nam Hepatici, seu Iecinorosi sunt colore pallido, & virentibus herbis perquam simili; Splenitici, nigro, subcineritio.

In statu vero naturali, cum jecur robustum est, roseo colore facies, & cutis perfunditur: quia jecur sanum, sanguinem rubrum

&

& carnem albam generat. Lien cum validus est ſucci melancholici ad ſe copiam attrahit; & ſanguinem depurat.

Quare, cum hic puer livido, & ſubcineritio eſſet colore, mihi ſemper, & de Hepatis, & de lienis imbecillitate ſuſpicio remanſit; magis cum lentam in illo febriculam ſentirem.

Cauſa ſatis nota: quæ frigida intemperies eſt Hepatis, quod ſanguinem ſibi pro alimento demandatum, vertat præ debilitate in ſeroſum humorem.

De prognoſi poſſum arguere, ut in hydrope vera; hoc ob internarum partium debilitatem.

De cura. Dico me hanc ſanaſſe particularem Hydropem præparantibus apozematis, quibus adjeci ſyrupos aperientes, ut de duabus radicibus, de Byzantino, & de eupatorio: ſic & purgantibus, nempe radice Mechoacanna, electuariis Diaphœnicone, & confectione Hamach, Pilulis de Hiera cum agarico, & Maſtichina.

Hiſce factis caput roboravimus cucuphis, conſervis ex fl. betonicæ, majoranæ, quibus adjiciebantur ſpecies Diagalangæ, Diarhodonis, cum pulv. Maſtichis & Cinnamomi.

Sed, quia inter omnia auxilia pro roborando capite, & hepate maximo in uſu fuit decoctum Salſa & Chinæ, illud exhibui, quo roborata viſcera ſunt; & mala humoris qualitas correcta, & abſumta eſt, obſtructioneſq;

abla-

ablatæ, ac cubiti & digiti ulcera consanata sunt. Hisce si non succubuisset affectus, fecissem fonticulum in brachio ob caput, à quo humor, tanquam à prima origine distillat: quem citra ullum virium dispendium ita vacuant antiqui, ut Vigo, Albucasis, & alii multi.

Exemplum, de pedum Oedemate.

OEdemate pedum homo dissolutæ vitæ, & valde veneri indulgens, cum duobus annis laborasset, scarificatis suris, & supra scriptis medicamentis adhibitis, sanitati restitutus.

Oedema, Tumor laxus est pauci doloris, impositis ipsi digitis cedens, colore albus.

Oritur in frigidis & humidis temperaturis, in quibus crudus, & aquosus sanguis generari consuevit.

Hujus causa est pituita naturalis frigida, & humida, seu pituitosus sanguis à natura non rite coctus, generatus, à fortioribus ad debiliores partes expulsus.

Hic, licet in omnibus externis partibus, generari possit, in pedibus, artubusque frequenter oriri consuevit: præsertim in hydrope, phthisi, & malo corporis habitu. Cum enim pedes sint remoti à fonte caloris, ad eos natura tanquam ad partes maxime distantes & debiles, ablegat, & motu exercitioque crurum, & pedum, nova quotidie attrahitur materia: quæ istis nervosis particulis semel im-

pacta & imbibita, difficulter elicitur; tum quia artus, ob caloris inopiam crassum humorem resolvere nequeunt; tum quia humor semel infixus & pertinaciter adhærens difficile discutitur. Et cum multi flatus ab hoc humore lento & pituitoso oriantur, ex eo digitis cedit, hic tumor, foveaque fit; quia humor spiritu flatulento plenus est: argumento comprobatur: nam decumbentes lecto tempore nocturno, surgentes pedes graciles habent: quia flatus iste lectuli calore discussus est, processu verò diei ob dictas causas multa de novo materia cumulari solet.

De Prognosi. Vulgo dicitur, quod in juvenibus Oedemata supervenientia semper bonum judicant, quia potens natura humorem crudum ad artus dimittit, quæ eum processu temporis superabit, & resolvet.

Senibus vero, citra morbum, superveniens Oedema est exitiale: nam cum illis frigidum sit corpus, naturam debilem, & hepar aberrans esse in sanguificationis munere ostendit.

Oedema molle, & sine dolore bonum; durum vero & dolens, pessimum, ut eleganter Hippocrates lib. 1. prog. Text. 29.

De curatione. Si per ædemata pedum morbus, & febris cessaverint, & materia critico modo fuerit expulsa, nihil novare oportet: quoniam quæ judicantur, & judicata sunt integra, neque movere, neque novare convenit. Teste Hippocrate 1. aph. 20.

Si vero materia non diſcutiatur,ſed ſit infixa,& in multa copia tenaciter impacta,tunc citiſſime auxiliares manus adhibere oportet; quoniam funeſta, letiferaque mala ex neglecta curatione contingunt.

Quæ ſi quis timeat,optimum eſt præcavere ſcarificationibus, ne calor ſuffocetur præ copia multa. His cujuſlibet membri calor ventilatur, & tranſpirat; quod juſſit faciendum Galenus lib.2. ad Glauc. cap.7. de Abſceſſibus, quando in inflammationibus corruptio, ſeu exſtinctio nativi caloris timetur; denique cataplaſmata præſervantia applicare ex farinis fabarum, orobi, lupinorum,parata.

Notandum tamen,ne topica imponas quin præcedat bona evacuatio, quia retrahendo materiam ad centrum à circumferentia, extrema eſt pernities: quare recordare hiſtoriæ Galeni 14.meth.cap.17. mulieris Romanæ Herpete in malleolis laborantis,quæ impoſitis aſtringentibus ſe ſemper pejus habuit. Vocato autem Galeno,propinatoque ſero lactis cum ſcammonio,cicatriſatur ulcus, & ſana manſit.

Inter Hydragoga, & Melanagoga ſunt, ſuccus Ireos, ſambuci, braſicæ marinæ, radices Mechoacannæ,Agaricus,Hermodactyli.

His non juvantibus Balnea artificialia optima, ſulphurea nempe & aluminoſa; quia roborant, diſcutiunt, & craſſum humorem reſolvunt.

Fonticuli imperandi in parte interna, nam his factis materia à superioribus defluens intercipitur ne ad debilem perveniat.

Quod si à capite, ut multoties fit, defluxio originem ducat, (quod cognosces ex signis cerebri affecti, nempe à dolore capitis, distillatione per nares, os, aures, ex vertigine, tinnitu aurium, caligine videndi, obtenebratione oculorum) tunc eas uni, aut alteri brachio imponas.

Et si plura pro hujus œdematis curatione desideras lege Doctissimum Fallopium lib. de Tum. præt. natur. capite proprio de œdemate.

Exemplum, De Lue Venerea.

FIlia quatuordecim annorum lue gallicâ ex parentibus contracta laborans, variis multisque ex Hydrargyro præparatis unctionibus adhibitis, neque ad salivationem, neque sudores, neque excretiones pervenit: sed post annum in mense Martii, quo uncta fuit, suas operationes complevit, spuitione, & supervenientе Diarrhæa virulenta ex Hydrargyro contracta moritur: dissecto cadavere, circa juncturas guttelæ tremulæ Hydrargyri à me inventæ sunt.

Aman-

Amantißimo Nobilique viro, Domino

Doct. NICOLAO FONTANO, Medico, S. P.

SOla obſervatio artes introduxit, ipſa ſola cum in aliis, tum in arte Medica artifices fecit. Medica enim ars quamvis certis quibuſdam demonſtrationibus, & aliquando ratione evidenti nitatur, in pleriſque tamen ſola experientia & obſervatione.

Optime igitur, mi Fontane artis Medicæ Doctor ſtudioſiſſime, & tibi & aliis conſulis quando in praxi medica rara, & notatu digna notas, eaq; obſervas, & in publicum profers.

Obſervas in tuis obſervationibus, quod Hydrargyri inunctio, toties in filia quatuordecim annorum lue gallica laborante, adhibita, nullas plane exeruerit operationes, neque per ſalivam, neque per ſudores, neque per alvi excretiones; ſed non niſi poſt annum operationem ſuam ſpuitione compleverit: quod vero Diarrhæa ſuperveniente maligna exſtincta ſit, Hydrargyro ipſo adhuc guttulis tremulis conſpicuo in cadavere poſtea diſſecto.

Res profecto mihi, quod memini, antè non audita, & propterea admirabilis. Rogarem prima fronte an Hydrargyro, vel Mercurio pedes abſciſſi, ut non amplius, ut ſolebat, ambulare; & alæ ablatæ, ut non amplius volare

possit? Mercurius enim non est metallum fixum, sed degener & obortivum metalli, quod figi & coagulari nequit, quia non habet vim illam sulphuream figentem. Habet quidem materiam sed plus formalitatis, idque in fluxili & humida substantia, quæ si coagulari & figi posset (quod hactenus quidem frustra tentatum) esset auferenda, sed tunc remaneret nil nisi plumbeum quid, idque effętum, & enervatum, quod caput mortuum vocant, nullius in Medicina usus.

Præparatur quidem, sed quocunque modo præpares servabit proprietatem, & vim Mercurii adhuc vivi, & crudi: dissolutus poterit in integrum redigi: assumtus, vel forinsecus applicatus manebit Mercurius ille cujus capiti & pedibus alas appingunt, eo quod currat velociter & nesciat quiescere, vim suam quam habet exerens, in sulphuritate sua volatili penetrans per cutis spiracula, etiam per cutem integram ad interiora quævis, ad ima penetralia venarum, & nervorum, agitans, persequens, & proprietate sua arcana expellens malignum illud in lue venerea non aliter, ac si metalla, quorum principium, pater & castigator dicitur, castigaret & purgaret.

Res ergo videtur admirabilis, quod illud, quod ita velox & activum, per integrum annum in corpore adhuc vigente constitit, quievit & nihil operatum fuit.

Causam ejus dicere difficile est, conjicere faci-

facile. Diceres ipſam eſſe vel in Hydrargyro ipſo, vel in unctore, vel in ſubjecto uncto, vel in rerum circumſtantiis.

Non dicerem in Hydrargyro ipſo eſſe, quia non poteſt non ſalivam vel ſeceſſum movere. Sed dicerem quod inunctor in juſta quantitate Hydrargyrum non adhibuit: vel quod fæmella ipſa fuit temperamenti frigidioris, quam par erat, ita ut calidum innatum vires Hydrargyri excitare non potuerit: vel quod ipſa, malum hoc non ex impuro concubitu ſed ex parentibus contraxit: ut ſit non acquiſitum, ſed hæreditarium malum; quod non tam in humoribus, & partibus ſolidis, quàm humido & calido nativo tam profundè & perditè potuit deliteſcere, ut Hydrargyro ad ſubigendum illud integro anno opus fuerit. Poteſt etiam eſſe quod locus in quo continebatur non fuerit ſatis calidus, tempus anni ipſi non ſatis accommodum.

Plures excogitari poſſent rationes, de quibus diſquirere & diſſentire licet cuivis. Sed aliquid in hac tua obſervatione, clariſſime Fontane, quod majoris forte eſt momenti, inveni quod velim in meam, & aliorum gratiamenucleem. Dicis filiam iſtam à Diarrhæa virulenta ex Hydrargyro contracta eſſe mortuam. Quęſo dic tuam ſententiam de Hydrargyro, an tu putas illud eſſe venenum propriè quod interimere poteſt? Propono hanc quæſtionem exercitii gratia, alias tu mihi deſi-

gnabis Rhodum, ut & ego saltum dem. *Vale & Tuum Vosculium te ex corde amantem redama.*

Doctissimo expertissimoque viro

D. EVERARDO VOSKVLIO, Med. Doctori S. P.

NVllas tuis jucundiores legi, quibus me maxime ad studia excitas. Quare optimo jure nec quiescere possum, nec debeo, antequam, tuæ ex intimis artis Hippocraticæ recessibus quæstioni collectæ, satisfecero.

Quæ talis est. *Vtrum Hydrargyrum proprie venenum est?*

Fateor me plura de hoc morbo debere agere, Expertissime Domine collega, sed quia sequenti exemplo fusius omnia tractare fert animus, parce mihi, qui interrogationi tuæ ita respondeo:

Hanc ægram ex unguentorum malitia, prostratis viribus mortuam fuisse nemo ibit inficias: quoniam Mercurium venenum est apud Galenum lib.5. simp.18. & lib.6. epyd. sect.6. com.5. Plinium lib.33. cap.6. Quare membra interficit, tabe dira, sanguinem coagulat auctore Massa lib. 4. de morb. Neapol. cap. 1. calorem spiritumque exstinguit, ex Brachelio lib. 2. aph. 17. Demum, unguentorum Mercurialium, extremis membris admotorum, tanta est ac tam pertinax vis, atq; mali-

malitia ut qui ſemel eo curati ſint, ſanati quidem videantur; & ſi in eundem morbum rurſus incidant ob Mercurii malignitatem, debiliores facti, inhabiles ſint ad ſecundam curationem. De eo lege Fernelium lib. 2. de abdit. rerum cauſis. Manardum 14. Epiſt. Epiſt. 4. Fallopium lib. de morbo Gallico 76. Langium lib. 1. Epiſt. Epiſt. 43. Quoniam Mercurius cum frigidiſſimus ſit, viſcera mortificat: denique hanc ob cauſam Cachexia, Hydrops, ſequuntur; & cum ejus vapor cerebrum ejus nimium debilitet, Paralyſim, convulſionem, ſtuporem, & ſpaſmum inducit. confirmante Montano lib. 1. conſult. Epiſt. 62. Sic dentes vacillant, oſſa corrumpuntur, viæ obſtruuntur, per quas animalis defertur ſpiritus: & ita ſenſus omnes & maxime auditum corrumpit.

Hic, præter illa, gravitatem ſtomachi validaſque infert tortiones, inteſtina vulnerat, urinam impedit, corpus reddit tumidum, plumbeoque colori ſimile, & artus contremiſcunt, quod confirmant aurifabri qui argentum deaurantes ex ejus vapore ita invalidi fiunt, ut poſtea toto corpore trementes, manibus pedibuſque vacillent, & in Paralyſim incurrant.

Etiam humores à juncturis ad pulmones concitat violento motu, unde Schinancia ſubita, & ex afluxu humorum malignorum linguæ, gulæ, gingivarum, ulcera contingunt,

tandem tabes, & mors asserente Cardano lib. 5. de subtilitate, prope finem. Et *Acutissimus Zacutus Lusitanus* lib. 1. Historiar. 73. no. 4.

Hinc facile colligitur, Hydrargyrum non carere suspicione veneni, præsertim in corporibus picrocholis cholericis, & sicciori temperatura præditis, præsertim debilibus, qui vim illius superare non queant: ea enim est natura Mercurii, ut nervosis partibus valde noceat, pituitam in magna copia evacuet, stomachum, & intestina, articulos, itemque ossa valde offendat, præcipue si oportunis medicamentis è corpore humano non educatur. Præstat vero nonquam uti, si benignioribus medicamentis morbus expugnari queat: Quare ne fide Mercurio fatali illi Deastro, & me tibi commendatum habe.

Tuus Nic. Fontanus.

Exemplum, De Gallico morbo cum gummate, & carie, & osse corrupo.

TEnella ætate filia, concubitum non experta, cruciatur admodum, dolore capitis & artuum, febre præsertim nocturno tempore. Huic in parte alta nasi tumor, durus & scirrhosus repullulat, qui processu temporis ossa erosit, unde factum est ulcus cum ossis carie, & corruptione.

Nullus medicorum melius morbi gallici spe-

ſpecies Fernelio definivit, qui præter tres ſpecies communes quartam proponit, cum jam invaleſcens lues, ſolidas partes, oſſa, vincula, membranas, ac nervos adoritur, in iis jam vitiatis, multa adſunt excrementa craſſa, glutinoſa, maligna, quæ nonnumquam in tendines, ſæpius inter oſſa & perioſtia confluunt: hæc cum vel membranam ab oſſe divellunt, vel eam maligna acrimonia feriunt, cruciatus implacabiles movent, noctu ingraſſantes, & ab iis demum coagmentatis præduri Tophi multo cum dolore ſuccreſcunt; eadem porro cum in oſſe finguntur id amplificant, diſtendunt, atque exedunt, ut ejus ſæpe deprehenſa ſit monſtroſa figura.

Duo dubitabis. Num hic affectus dicendus ſit gallicus? Secundo. Cur oſſa potius & partes ſolidæ ſunt vitiatæ, & non aliæ?

Ad primum dico, Quod experimento compertum eſt, nullum morbum ita cito & violenter partes ſolidas aggredi velut gallicus; cum enim ſit malignus & venenatus, ſolidas ſtatim partes conſpurcat; & promptiſſimi veneni inſtar, corpus labefactat; & quod alii morbi, licet contumaces, non niſi longo temporis decurſu facere ſolent, hic citiſſime procreat.

Hanc puellam, de qua exemplum protuli, morbum ipſum pati, nulli non eſt manifeſtum: non ex concubitu, quia teneræ ætatis eſt: ſed ex contactu impuro, hoc eſt, ex fomite

relicto in veste, indusio, linteo, lecto, poculo, aut quovis adhærentiæ contactu.

Si quis hunc morbum hæreditarium esse dicat, à parentibus acceptum, bene illum dixisse reor: quoniam istius naturæ est, ut à patre ad filios procedat. ut docet Mercurialis lib. 1. de morbo gallico cap. 3. Cum enim semen à toto corpore decidatur, naturam, & Idæam refert ejus à quo deciditur, unde semen vitiatum & tabe dira conspurcatum non potest nisi filios eadem labe fœdatos generare.

Ad secundum facilis est responsio: nam sicut prius fit humoralis, aut hectica, quam Diaria, quia humores & solidæ partes ad recipiendum calorem febrilem magis disposítæ erant spiritibus, qui calidiores & sicciores erant; sic ob aptitudinem passi, amplius hæ partes quam aliæ recipiunt contagium morbi gallici. & hanc ob causam quibusdam accidit Bubo, aliis Gonorrhæa, nonnullis defluvia capillorum, multorum artuum dolores, ulcera in pene, palato, paristimiis.

Denique hæc pars magis quam alia patitur, quia magis ad hunc morbum est disposita.

Quare ilico curam exerce: nam timor est ne ossa vehementiori tententur carie, decidat nasus totus, & cerebrum imbecillitetur: ulcera renascantur immedicabilia in fronte, palato, aliisve partibus spongiosis.

Aër

Aër ſit ſalubris,calidus,ſiccus. Cibus calidus,ut biſcoctus,paſſulæ &c. Potus ſit hujuſmodi ut decoctum Salſæ parillæ, Chinæ. vinum vitetur. Humores præparentur,ſyrupis fumariæ, boraginis, de polipodio,cum aquis fumariæ , vel decocto aperitivo permixtis. Purgetur pilulis de fumario , Electuariis Hamech,Diacharthamo.

Sudorifica ſint ex ligno ſancto, China , & Salſa,parata.Si tempus ſit frigidum,&corpus frigidioris naturæ decoquantur in vino,alias in aqua.

Hiſce ſi non ſuccubuerit affectus,intrepide utere unctionibus Mercurialibus , ſuffumigiiſque.

Gumma in pede & circa artus ungue unguento Marciato , Arigon , Dialthea cum gummis, vel alio , quod craſſos ſuccos diſcutit, dolorem lenit. Vel huic impone emplaſtrum de Ranis Vigonis cum duplicato triplicatoque Mercurio.

Ablue tumorem cum ſpuma decocti præſcripti Salſæ,& ligni Guajaci.

Quod ad naſi ulcera habe magnam rationem , mundificando, abſtergendo. Hiſce ſi non conſaneſcat,utere Mercurii dulcis granis xij. vel viginti ſecundum virium tenorem: ſi interea pertinax manſerit,utere palliativa cura , quia eſt incurabilis , & tabe ægrum conſumet.

Exemplum, de Liene.

MVlier quadraginta annorum, vel circiter ex lienis obſtructione ejuſque mola & duritie in graviſſima ſymptomata incidens, corpore bene præparato, & adminiſtratis medicamentis melanagogis, ſecta vena, Hirudinibus ano applicatis, curatur à malo magno.

Perilluſtri viro, Domino

NICOLAO FONTANO

Medico eximio.

QVemadmodum natura rerum ſumma (mi chariſſime) *docta ſine doctore* ex Hippocrate lib. de alimentis no. 8. ad operationes peragendas ſagaciſſima ex Galeno lib. 2. de natur. human. no. 21. nos viam extrahendi ſanguinem edocuit, ut experientia in hominibus indies magis magiſque manifeſtatur; ſanguis enim alios per nares, alios per Hæmorrhoides, mulieres per menſes exeundo non ſanat duntaxat, verum etiam à morbis præſervat: Sicut Plinius, Naturalium rerum indagator, mirabilem nobis refert hiſtoriam de quodam Niliaco animali Hippopotamo dicto lib. 8. nat. Hiſt. cap. 26. ubi ſic præfatur: Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter, aſſidua namque ſatietate obe-

obesus exit in litus, recentes arundinum cæsuras speculatus: atque ubi gratissimam videt stirpem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, rursusque plagam limo obducit.

En providentiam naturæ non hominem solum, sed & animal irrationale à morbo liberantis. Quare merito cum Hippocrate exclamare lubet lib. 6. epyd. sect. 5. tex. 1. *Naturam morborum esse medicatricem.*

Sic & ars tanquam naturæ ministra varios adinvenit sanguinis extractionis modos: In quibusdam enim per venas, in aliis per cucurbitulas, in aliis iterum per Hirudines sanguinem extrahendo plenitudinem demit, humorem fluxurum revellit, fluxumque derivat, à putrefactione ventilando præservat, febrilem calorem extractis humoribus calidis refrigerando extinguit, & infinita alia: sed ne prolixior quam par sit videar, materiam ipsam aggredior: occasione cujus hæc præmisi non quidem docendi modo, cum praxis vestra quotidiana, libri à vestra claritate in lucem editi, vestram excellentem doctrinam, magnumque vestrum ingenium, nec non assiduam in arte industriam satis patefaciant; sed interrogandi tantum causa, utrum videlicet in omnibus affectionibus melancholicis extractio sanguinis per hirudines tanti æstimanda uti me coram ostendisti, & ut in quibus-

busdam mihi evenisse exempla infra scripta testantur.

Vir quadragenarius studiis, & curis deditus longo tempore hæmorrhoidibus cæcis oppressus omnibusque celebrandis celebratis non potuit convalescere; denique Hirudinibus aliquoties venæ hæmorrhoidali dictæ appositis, sanguineque fæcali & melancholico sufficienter detracto, à dolore liberatus & in posterum hilariter vitam produxit.

Alterum de muliere melancholica, quæ postquam clysteribus revellentibus, venæ sectione, purgationibus, aliisque remediis usa fuisset, hoc solo auxilio temporibus apposito libera evasit.

Miror sane tantam efficaciam istorum animalium cum venæ sectio profundius, atque immediatius ab aliis visceribus sanguinem detrahit: cucurbitulæ etiam ex profundo & tam violento motu sugunt quasi sanguinem, ex Galeno 4 meth. cap. 4. ubi loquens de violenta attractione dicit, trahit ritu cucurbitulæ & maxime cum Hirudines solum cutaneum sugunt sanguinem, ex Galeno lib. de Hirudinibus cap. 1.

Sciendum autem est, Hirudines haud eum qui in profundo est sanguinem, sed tantum quæ caro est, expurgare &c. Et proinde in se hoc animalculum est venenosum; ut ex Galeno citato patet, & si sympathia quadam melancholicos curet, an idem præstet in fluxu

nimio

nimio hæmorrhoidali partibus superioribus affixam. His valeto mi charissime, meque ut solitus es, amato. raptim ex Musæo 22. Ianuarii Anno 1638.

Tuus ex animo
Iacobus VVorst. M. D.

Doctissimo viro, Domino
IACOBO VVORST.
Med. Doctori expertissimo. S. P.

EXcellentissime Domine Doctor, litteras tuas omni Hippocratica atque Galenica doctrina ornatas cum legerem obstupui, eo magis quod viderim te non solum in illorum hortis spatiatum fuisse, ut quamplurimi consueti sunt facere, sed quod illos carpseris, devoraveris, non solum in tui utilitatem, sed Reipublicæ usum concoxeris, quos omnibus offers, certe non sine magna utilitate, & illorum commodo.

Ad quæsita tua quod attinet, libenter, cum id à me expostulas, scribam; quamvis, meo judicio tibi debuissent satis fecisse usus tuus proprius, & meum exemplum.

Sed cum Philosophi est semper ulterius naturalia indagare, libentissime tibi, si vires permittant, nonnulla de Hirudinum utilitate præscribam, quæ à me ita accipe.

Sed prius veniamus ad quæstionem nostram; tripliciter sanguis è corpore vacuatur

venæ

venæ ſectione, ſcarificatione, & Hirudinibus. priorum vacuationum beneficio evacuatur ſanguis tenuis, calidus, ferventiſſimus, quantitate præcipue peccans, de quorum utilitate latè peregit Galenus lib. de venæ ſectione, in methodo, & alibi paſſim.

At Hirudinum ope, impoſitis nempe ſupra venas hæmorrhoidales Hirudinibus, non quicunque ſanguis, ſed qui fæcalis, terrenus, feculentus, nigerque in corpore abundat: quapropter nulli dubium eſt, quod plures morbos hoc remedium exterminet, quos nec venæ ſectio nec extractio ſanguinis per cucurbitulas curare potuerunt: quia cauſa mali adhuc latebat in corpore, videlicet ſanguis hic melancholicus & triſtis, qui in his venis præcipue abundat, & ad quas natura, ut ſe ſe à tanta ſarcina exoneret, tanquam ad partem diſtantem ſeu potius ſentinam totius corporis emittere ſatagit. Sic fit ut morbi melancholici, quartana, melancholia, mania, cancer, lepra, cutanei affectus, febres erraticæ, & alii qui ex retentione menſtrui ſanguinis ſuapte natura melancholici, ſeu Hęmorrhoidalis oriri conſueverunt, ratione talis humoris evacuati miteſcant & mirificè leventur; nam ſive hæ venæ hæmorrhoidales ſint rami venæ Portæ, in quam ramus ſpleneticus inſeritur, per quam lien hunc triſtem ſanguinem eructat, vel ſint rami venæ Cavæ qui ad podicem terminantur, ſanguine melancholico & li-

moſo

moſo turgeſcunt, qui ſi nimium exuperat, & morbos ferinos committit, ſolum Hirudinum ſupra mariſcas impoſitione exhauritur, quare dicti morbi ſolo hoc remedio perſanantur.

Neque exiſtimes ut rentur plures, quod ex electione & ſympathia hæc animalcula hunc melancholicum ſanguinem exugunt, quia eum impromiſcue evacuant, licet magis craſſum quam tenuem & ſeroſum. Eſt ratio, quia ille in his venis fere abundat.

Quando vero applicantur ſedi, debent eſſe enutritæ aquâ dulci, ſaccharo reſperſâ ut hoc modo venenum exſpuant , quod continere firmat Avicenna 4.1.cap.12. de ſanguiſugis, & hoc modo ſi non expurgentur, præſertimque violaceum & nigrum habent colorem, ano impoſitæ Hæmorrhagiam citavere fere immedicabilem.

Hæc ſunt quæ tuæ dubitationi adjungenda curavi, quæ ſi tibi placuerint gaudebo; ſin minus, venis accuſandus qui petiiſti; non ego, qui amiciſſimo obtemperavi. vale, & me ama. raptim. *ex muſæo 9. Iannarii 1639.*

Tuus Nic. Fontanus.

Exemplum, De calculo renum.

SEptuagenarius dolore Nephritico diu excruciatus, Dei omnipotentis miſericordia, uſu Therebinthinæ Venetæ, miraculoſe cura-

curatur: cum quatuor lapides ciceris magnitudine meiret.

Duas habet Nephriticus dolor causas quas communiter designavit Galenus, lib. de Renum dignotione & curatione.

Hic dolor, seu calculosus morbus, causam efficientem habet præter naturalem calorem, materialem vero humorem lentum, viscosum, crassum & lutosum: Una causa non agit hic sine altera; velut si lutum in furnum frigidum injicies, lutum remanebit; si vero in fornacem calidam, exiccatur & in testam abibit. Sic si à variis corporis partibus mucosus, & lentus humor in temperatos renes delabatur, mucus ipse per urinam exit; si vero in renes intemperatè calidos defluat, ibi præ mora retentus & exiccatus crassescit magis, & acquirit sibi lapidosam substantiam.

Ex hoc colligitur quomodo sabulum, arena, aut calculus, differant propter varietatem materialis & efficientis causæ: Quoniam, si materia non multum sit tenax, nec calor ingens, nec humor ita torreatur, fit sabulum, hoc est lutulenta illa materia quæ argillæ instar subsidet in matula; si vero tenacior sit humor, calorque amplior, arena fit; si vero renes ignei sint, & materia tenacissima, hæc concrescit in lapidem.

Ex hic collige secundo pro curatione in sabulo abstergendo, & vacuando imbecilliora medicamina convenire, in arena detur-

ban-

banda, fortiora; in calculo expellendo, fortissima. In Nephritide convenit sanguinis missio primo è brachio, secundo è talo. Hirudines ano impositæ, apozemata expurgantia, refrigerantia renes, sabulosam materiam abstergentia, mucosum humorem evacuantia, quorum omnium silvam suo loco proponemus.

Sicut multum juvat sanguinem è talo emittere in calculoso morbo propter viciniam, consensum & communitatem venarum crurum cum renibus, sic cauteria juvant in crure affixa; quando renes sordidâ materiâ inferti sunt, aut per eos totum corpus ab excrementitiis humoribus, sordida sabulosaque materia expurgatur.

Inter omnia notanter adverte, unum medicamen quod divino quodam miraculo Nephriticos, & difficulter respirantes juvat: & est Therebinthina. Quod etiam notavit Galenus lib. 5. de sanit. tuenda cap. 9. qui sic loquitur: *Verum Resina, quæ vocatur Therebinthina, non solum renes abstergere & vacuare potest, sed & pulmones.*

Ab Hollerio multiplici lege exhibetur capide de dolore Nephritico Mercato lib. 4. de morb. int. eodem capite: nam hæc duas partes habet, unam crassam & terrestrem; alteram pinguem aëriam, & igneam: per hanc abstergit, & per priorem imbibit.

Cum febris adest abluenda est, ut pars ignea ablutione infringatur, ne ignescat jecur,

cur,aut incalescant renes. In morbis pectoris abluitur decocto capil. veneris,vel aqua hyssopi, tussilaginis,violariæ,&c. In Nephritico dolore,decocto Glycyrrhyzæ,adianthi,passularum,malvarum, violarum, vel aqua violarum, malvarum, graminis, raphani, petroselini.

Sumitur in substantia, vel in potu, pilulis, bolis,pulvere,

Vnum,ut dixi, adverte,quod non laves in frigidioribus corporibus,sed in calidioribus.

Mira hujus Resinæ utilitas & vis est: quia purgat per secessum,vrinam,& vomitum.

Quanta autem solicitudo habenda sit in his morbis de ventriculo,in quo velut in cloaca materiæ glutinosæ stabulantur, quæ cum crassæ sint, materiam & fomentum præbent his morbis, non est operosum demonstrare: nam vacuata hac à ventriculo viscida pituita, subtrahitur fomentum morbo, quia causa mali, quæ tandem debebat concrescere in lapidem,vacuatur.

Rursus sicut sunt certa medicamenta proprias partes respicientia, ut Adianthum pectus, Absynthium ventriculum,Cappares lienem, Eupatorium Hepar, sic Therebinthina proprietate quadam occulta Renes, & Pulmones respicit,& roborat; & materias in istis membris insidentes per urinam abstergit,vasaque urinaria mundificat,& repurgat.

Addo non solum in his morbis exhiben-
dam

dam esse Therebinthinam, sed etiam quando jecur, aut lien scirrhosa dispositione laborant, & obstructiones patiuntur.

Exemplum Secundum, de calculo Renis explosо per lumbos.

NAturæ beneficio, juvenis calculo & ulcere Renis laborans, miraculose curatur, exploso per lumbos lapide.

De causis hujus mali hoc loco nihil, sic & de cognitione; sed de ejus prædictione notanter adverte, quod hic morbus curationis difficilis est, & idcirco longus, quare longioribus, diuturnioribus indiget auxiliis; quæ antequam remotiores has attingant partes in via orbantur facultate. Etiam ab affluxu seri biliosi semper sua acrimonia stimulantis magis ac magis in dies irritatur ulcus, quandoquidem excrementum adveniens acre sit, mordax, & stimulans:

Denique non credendum est in pueris facile curari, licet Renum vitia in senioribus difficulter admodum sanentur, quia Renes parvę sunt activitatis, & idcirco medicamenta ad vota agere non possunt.

Quare recte dixi longam esse curationem. Attemperandi renes sunt unguento Rosaceo, Sandalino, mixto lacte muliebri, & aqua rosarum. Purgandum corpus iterum atque iterum levioribus medicamentis.

Hæc enim licet per se ulcus non sanant,

tamen

tamen partem præſervant ulceratam ab inflammatione, quia hi humores à genere venoſo ad renes confluentes per alvum evacuantur: cum enim pars ulcerata dolore afficiatur, & conculcati humores coerciti, retenti incaleſcant, quia in renum venis anguſtis non bene difflantur, pars ipſa dolorem attrahit atque calorem: unde ſi corpus impurum eſt, & ab excrementis non purgatum, continuo ob dictas cauſas materia morbifica attrahitur ad partem.

Secunda hujus mali curatio in ulceris abſterſione & exſiccatione conſiſtit, hoc eſt conglutinatione; nam ſi ulcera non mundificaveris ex adfluente humore de novo ſemper ſordeſcat ulcus, & tunc excitata febricula corpus abſumitur, & contabeſcit, cui poſtea nullum remedium eſt.

Ptiſana in hunc uſum optima cum melle roſ. aut emulſio ex ſeminibus quatuor frigidis, aut ſerum lactis caprini quod mirifice abſtergit. Aqua mulſa optima cum conſerva roſarum permixta.

Dolor ſi multum urgeat, huic mulſæ adde aliquid collirii Rhaſis albi, cum vel ſine opio.

Abſterſo bene ulcere, quod ex clariori urina conſtabit, & in qua nihil vel parum puris apparet, deveniendum eſt ad aſtringentia. Et ſic optimum eſt decoctum hordei integri cum ſyrupo è roſis ſiccis, vel Myrthino, cui aliquid pulv. ſanguinis draconis, vel boli veri,

vel

vel terræ ſigillatæ, vel Trochiſci de Carabe admixtum ſit. Aſſumpta,mane & veſperi,hac potione,nec edendum nec bibendum.

Conſervæ parentur ex conſ. Roſ. Malvarum,cum bolo rubro, & Trochiſcis de Carabe. Vinum ſit Rubelium. Victus ex leviter aſtringentibus confectus.

Si cura ad votum non ſemper ſuccedat, tunc comminiſcere auxilia morbo reſiſtentia, quando fortior eſt, abſtine à fortioribus: morbus enim ſi vires vicerit, remedia non habet.

In eo enim differt morbus lethalis à non lethali, quia in illo morbus vicit naturam, & auxilia; in non lethali verò natura morbum. ut monuit Hippocrates lib. 4. de morb.acut. cap. 22. Quare cautè procede,nam Medicus præſagiens omni vacabit culpa,apud eundem lib. 1. prog.textu 30. quoniam ſi forte mors contingat ne vel fefelliſſe, vel ignoraſſe Medicus videatur,quare recte olim Celſus:oportet, ut Medicus proſagiens ſciat, qui morbi ſint inſanabiles,& qui non.

Exemplum, De fœtu mortuo.

AB uxore piſtoris gemelli mortui ſeparatim per uncum extracti ſunt,matre ſalva, me & obſtetrice præſentibus, à magiſtro Alberto Hop.

Idem fecit *Magiſter Petrus Bernardi Potgieter*

gieter summa cum dexteritate, quinquies, sexiesve, me coram.

Hic gravissimus est affectus, hic ille qui omnem molestiam fæminis miserrimis, & Medicis summum timorem incutit: nam hic, quo major est, eo terribiliora facit symptomata. Verum, fætore suo partes superiores præcipuas inficit. Flatus illi venenosi, ex retento menstruo, Cardialgiam, omne convulsionis genus, Epilepsias varias (uti vidimus) subitam Apoplexiam, excitant.

Cognoscimus mortuum esse fætum, quando movendo ab uno latere, ad aliud revolvitur, quando uteri, & umbilici regio frigida pæne est: In regione uteri moles quædam plumbea apparet. Cessante motu, fætus præcipue fere signum est oris fætor.

Illico aggredienda curatio est, propter ingens periculum.

Ægræ animus solamine firmandus est, ne forte ob timorem, collecto sanguine, & calore, ad partes intimas uterus defraudetur caliditate, & sic facultas expultrix debilitatur maxime, ut fætum ejicere non possit.

Fortiora ergo auxilia tentanda sunt, & vehementiora, quam pro fætu vivo: cum enim duplici robore opus sit ad fætum expellendum, & matris, & infantis, & hoc casu robore infantis cum careamus, quia mortuus est, idcirco validissima exercenda remedia, quæ irritant, stimulant facultatē ad expellendum.

Quare

Quare faciendæ sunt crurum frixiones, ligaturæ, apponendæ femoribus cucurbitulæ, & mulier si sit sanguinea, suspicio, quod copia sanguinis fætus suffocatus fuerit, citissime mittimus sanguinem è talo, secundum legem Hippocratis lib. 2. de morbis,

Clysteria parentur acuta. Ex Herbis, parietariæ, pulegii, arthemisiæ, sabinæ, centaurii minoris, majoranæ, florib. camomillæ, meliloti, Scheneanthos, aut aliis carminantibus. Cum hiera Logodii, & nonnullis granis Trochisc. Alaandal.

Foveatur umbilicus unguentis laxantibus, Agrippæ, Dialtheę compositæ, Martiaton, aut de Arthanita majori. adjectis nonnullis granis fellis taurini, & colochynthydos.

Ore sumat medicamenta eandem facultatem habentia. Necesse est exhibere subscriptam potionem quæ, ℞ Rad. 5. *aperit.* ana unciam semi. Rad. *Eryngii, ænonidis,* ana Drag. iij. Herb. *Adianthi albi, pulegii, betonicæ,* ana Manip. j. *Glycirrhyzæ rasæ* unciam semi. *cicerum* Drag. ij. *cinnamomi* sesqui-Dragmam. Coquantur (si febris adsit, ex aqua *hordei:* sin aliter) s. q. *vini* ad lib. 1. S. col. adde *syr. de Arthemisia, de Radicibus,* ana unciam 1. M. f. *apozema.*

Deinde haustulum qui ℞ *Trochiscorum de myrrha* scrup. ij. *Boracis* scrup. semi. *Croci* grana viij. *Syr. de 5. radicibus* unciam semi. *aquæ Arthemisiæ* unc. ij. & semi, misce f. *Haustus.*

Necesse est etiam pilulas exhibere quæ naturam ad infra propellant, factas ex castorii, assæ fætidæ, trochiscis Alandaal, & myrrhæ, ana scrup. 1.

Si tamen hisce auxiliis, non potuerit ejici fætus, unco, & manuali operatione extrahitur, sicut latè docui Libro meo de extractione fætus mortui per uncum.

Exemplum, De puerpera. febre et diarrhea biliosa laborante

PUerpera febre, & Diarrhea biliosa, quinto à partu die, cum rigore corripitur: & inde nullum levamen, cum symptomatica esset, habuit.

Morbi à partu, in curandis morbis, medicos ancipites reddere manifestum est; qui periculosi cum sint plenique timoris, Medicum præsupponunt cautum in faciendis evacuationibus: cum enim gravidæ ob incautum, & victum reprobum, depravatumque appetitum, multa pessimaque ingurgitant cibaria, quæ non rite concoquunt, fit ut hæc alimenta incocta in corpore retenta, ob copiam à natura regulari non possint, vel prohibiti difflari, putrescant, & sic gravidas crudis succis scatere hac de causa, nulli est non manifestum.

Licet enim malus succus assumptus, illico non noceat: attamen cum tempore nocere docuit Galenus lib. 2. de Alim. facultatibus cap.

Cap.6. Dicet forsan nonnullus, quare prava edulia prægnantibus, & aliis illico non nocent? cui respondebo: quia eorum non est tam ampla copia in corpore,ut nocere possit, deinceps vero tractu temporis majori aggregata copia, succus reprobus putrefactus morbos gravissimos excitare solet.

Alia accedit, ex Galeno 3. epyd. sect. 3. com. 73. causa: quia cum fætus in utero dulcissimo alatur sanguine, deteriorem, melancholicum,malignum,putridum relinquit; qui si non rite expurgetur, pro rationis multitudine irreparabilia mala,post partum accidere necesse est.

Licet enim menstrua purgatio post partum recte procedat,& uteri plenitudo particularis per evacuationem lochiorum bene respondentium sit exhausta, tamen ob dictas causas in genere venoso multa melancholici humoris copia remansit, qui ob crassitiem & lentorem expurgari non potuit,quo dato,febris subita,non tantum concitatur, ex humore in utero,ejusque vasis contento, sed ab humore huic generi venoso impacto, quia affectus toti communis factus est, in majoribus consistens venis.

Menstrua in hoc, si non respondeant, febrisque urgeat valenter,quid faciendum? si è brachio evacuas,naturam retrahes ad partes superas, & menstrua constringes:nam venæ sectio quæ fit à brachio, mulierum menstrua

retinere solent, affirmante Galeno lib. de curat. per sang. miss. cap. 11. Ergo è talo; non ob menstrua, quia rectè procedunt, sed ob febrem, & plethoram, quæ cum in superis locata sit partibus, non potest evacuari per inferiora: in minori tamen copia, ne geminata vacuatione vires prosternantur: nam aliquid relinquendum est menstruæ purgationi rectè procedenti. Loquor de casu, in quo menstrua rite respondent, præsertim cum hæc vacuatio non sufficiat pro multitudinis ratione.

Si vero rectè non respondent, tunc è talo detrahendus sanguis est, & tantum detrahendus quantum plenitudo commonet. Si vero minutè procedant, tantum evacuandum ut ex conjunctis ambobus, hoc est menstruis minutè procedentibus naturæ motum promoveamus. Hęc sententia Galeni est 1. Aphor. 20 Quoniam quæ excernuntur imperfectè supplere nos operantes convenit. Et 9. meth. cap. 5. Sic fatur: Quod si tempore mittendi sanguinis menses moveri contingant, aut Hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu ipse satis fore videbitur, ut quod requiris, evacuet, naturæ rem omnem permittes; sin minus, tantum ipsi detrahes quo ex ambobus perficiatur quod postulas.

Sententia memoria repetenda cum morbi cum menstruo complicati sunt.

Si vero post partum, non tantam sanguinis copiam per uterum excernat ægra, quia

crassus

crassus & lentus est, viæ angustæ, & sanguis in superioribus partibus, in venis majoribus, inter alas, & inguina detineatur, quem natura nonnumquam ad intestina emittit, sua acrimonia tunicam eorum rodendo, Dyssenteriam creat; si vero flatuum copiam permixtam habeat, tormina excitat, & umbilici dolores. Si vero iste humor in media via sit, facit Diarrhæam, quæ simplex alvi profluvium est: quæ symptomata post partum si superveniant, cum febre, medicis dubitandi ansam præbent, nam alvum fluere periculosum est; quia evacuatio non fit per locum convenientem, & à natura destinatum, qualis est uterus. Si vero astringas, ægram in præcipitem ages; quia quæ comprimunt alvum, menstrua retinent, quod periculosum existit.

Quid ergo agendum in hoc casu ancipiti? Hoc modo distinguendum est. Alvi fluxus vel accidit in initio morbi, vel in fine. Si in initio, est symptomaticus, ostendens naturam oneratam, qui cæterarum vacuationum symptomaticarum more tractandus est, præcipue cum ex eo nullam indicationem habeamus vacuationum, quæ in initio contingunt: in hunc sensum audi Galenum lib. 2. aphor. 42. qui sic loquitur: in initio morbi, nihil ad bonum vacuari contingit: omnia enim sunt casus præter naturam, earum quæ sunt in corpore vacuationum; oportet enim præire prius concoctionem, subsequi excre-

tionem, & postremo vacuationem ut bona sit crisis, atque judicium. Vides quomodo Galenus contemnat, & respuat tanquam inutiles vacuationes, quæ in initio accidunt tempore cruditatis, cum materia adhuc incocta sit: nam in initio cruditas humorum adest, 1. cris. 12. In statu vero concoctio fit. 3. cris. 2. unde omnes hæ evacuationes in initio factæ, reprobæ sunt; quia non tantum quantitatem multam humoris ostendunt, & naturam gravatam præsupponunt, sed qualitatem denunciant humoris, qui acrimonia sua & mordacitate pungit naturam, quæ stimulata acrimonia humoris ante tempus determinatum humorem excernere permittit; quare in initio factæ hæ evacuationes inutiles sunt, & si aliqualem utilitatem ostendunt, ea est, quia Natura minus remanet gravata humore, quin deinceps debet fieri materia morbi; quare evacuationes symptomaticæ si aliquo modo juvare possunt, ut causa juvant, quia materia morbi evacuatur. ut signa vero, inutiles sunt, quia ostendunt naturam lacessitam.

Loquor de omnibus universalibus evacuationibus per varias corporis regiones celebratis, per quas natura humorem peccantem expellere tentat, ut per Vterum, Hæmorrhoidales venas, alvi fluxum, per vrinam, fluxum sanguinis è naribus, per sudorem, per vomitum, & per quoslibet abscessus, seu evacuationes in diversis partibus, peractas.

Ha-

Harum nulla in morbi initio, in quo cruditas adest, & non concoctus humor, quid boni significabit, nam omnia quæ accidunt decretoria tunc sunt, & non judicantia, quæ aut lethalia, aut difficilis sunt indicationis ex Hippocrate 2. Epyd. 9.

Quare alvi fluxus post partum eveniens, cæterorum symptomatum ritu tractandus est; & si menstrua retineantur, urgeatque febris,& vires valeant,intrepide è talo mittendus est sanguis, prout Mercatus lib. 4. de morb. mulier. cap. 11. asseruit:nam detracta copia regulatur fluxus, & moderatur, dummodo parce è talo sanguinem emittas, ne duplicata evacuatione vires resolvas: quia aliquid condonandum est fluxui vires debilitanti.

Si alvi fluxus eveniat in principio, licet menstrua retineantur aut diminutè procedant, & sequatur tolerantia, & conferentia, tunc semper præ oculis habendum, num sequatur ex vacuatione juvamentum: Quod intellexit Hippocrates per verbum *confert* & per aliud verbum *ægri facile tolerant*: nam omnis evacuatio si natura ea levamen sentiat, tametsi sit symptomatica, non impedienda: ut divinus citatus Senex voluit lib. 1. Aphor. 2. qui ita loquitur:In perturbationibus ventris, & vomitibus spontaneis, si talia purgentur qualia purgari oportet, confert,& facile ferunt;sin minus,contra.Sic & vasorum ina-

inanitio si talis fiet, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant; sin minus, contra. ut idem denuo, eodem vero libro textu 23. demonstrat his verbis: Dejectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia dejiciantur, qualia conveniunt, & ægri facile ferunt, bonum. Quare si alvi fluxus post partum eveniat, & ex eo sequatur levamen, & febris conquiescat, vel minuatur, permittendus, licet menstrua sint retenta, vel minute procedant: nam tunc juvat, quia alvi fluxus, post partum eveniens, si sequatur ægræ conferentia, & tolerantia, hoc est appareat aliquod juvamen, utilis est, quia vicem menstruæ purgationis supplet: nec refert, quod non sit per convenientem regionem: nam hoc licet verum sit, est tamen per inferiorem regionem utero vicinam; & per eas corporis partes per quas natura consueta est peccantem humorem in venis contentum expurgare. id ut scias esse verum, lege Hippocratem 5. aphor. 33. ubi habet, *menstruis deficientibus, sanguis è naribus fluens, bonum.* Quasi diceret, menstruis deficientibus sanguis ex utero emanans, optime; sic per nares bonum etiam, quia multitudo & causa morbi vacuatur. Etiam si per Hæmorrhoides. Ergo si per has vias utilis erit, etiam per secessum, id est alvi fluxum, dummodo sequatur conferentia, & tolerantia; hoc si contigerit, nihil faciendum, sed totum opus naturæ relinquendum.

Ve-

Verum si post alvi fluxum, nullum sequatur juvamentum, febrisque accrescat, & lochia non respondeant, tunc fluxum moderaberis submovendo causam; & si vires adsint, è talo sanguinem mittes: si vero hæc non sufficiant, tunc scarifica suras, quæ vacuatio menstrua provocat suppressa: affirmante Galeno lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 11. & maximè si fæmina sit raræ texturæ, sanguinemque tenuem servare consueverit, in hisce superficiariæ, aut mediocres scarificationes fiant: sicut in nigris, quæ crassum sanguinem habent, & melancholicum, profundæ magis utiles.

Fluxui sis solus intentus; quem modicè constringes, ne ex eorum usu viæ ad uterum perreptantes arctiores fiant, & menstrua comprimantur: quare extrinsecus solum primo impetu ventriculo astringentia adhiberi oportet, ut oleum Mastichinum, Cytoniorum, cum pulvere rosarum, coralli, & Diarhodonis.

Cerevisia sit chalybeata, clysteres, si forte adsit acrimonia humoris, parabis astringentes: ex hordeo integro fol. ros. plantaginis, cum melle ros. colato, ut vitellis ovorum.

Si vero immoderatior fiat fluxus necesse est exhibere Rhabarbarum, cortices Myrobalani Inde, aut Chebuli, prout humor redundaverit, idque cum aqua rosarum, & syrupo è Rosis siccis.

Haustus hic non tantum bis terve exhibendus, sed sæpe, & magis si ex Diarrhæa ob acrimoniam humoris in Dysenteriam vergat, dummodo soliciti simus de intestinorum abstersione, cujus affectus curationem esse similem Dysenteriæ communiter evenienti certum est.

Sed si hic alvi fluxus in morbi fine contingat, tunc majorem utilitatem adferre solet, quia supervenit concocto morbo; & magis, si sequatur conferentia, quia tunc, defectum purgationis uteri, si forte adfuit, vel partem crassiorem humoris in venis contenti, alvo excitata natura supplere studet, quod ex conferentia facile est rimari: & tunc nihil tentandum, sed totum opus naturæ committendum; quoniam ut dicebat Hippocrates 1. aphor. 20. Quæ judicantur aut judicata sunt integra, neque movere, neque novare oportet, sed sinere.

Cave, cave, ne in Diarrhæa post partum, vel morbum, criticè eveniente, alicui medicamenta exhibeas; & præcipuè si sequatur levamen, ut confirmat Galenus in commento citati aphorismi, dum dicit: Vbi igitur vel integra judicatio facta est, vel adhuc fit, totum naturæ permittere, & nihil nos novare oportet. Vbi vero indeficienter judicat, id quod efficit supplere nos convenit: ideo rectè olim loquutus sic Avicenna 1. 4. tract. 2. cap. 7. Quod si natura non movet, move tu, motu

&

& hora ejus; sed si autem movet, aut movit, omitte eam & operationem ejus. Verbi gratia, corripitur Iohannes febri ardenti, accidit alvi profluvium in initio, quod est symptomaticum, ut in initio esse solent, quia sunt casus præter naturam, earum quæ sunt in corpore dispositionum, ex Galeno 2. aphor. 42. tunc non imitanda natura, nec æger medicamentis præcipitandus purgantibus, quia naturæ motus malus, & reprobus; quia illa tunc non excernit humorem tempore convenient; qui si non bene, quantitate & qualitate peccans cum sit, Hypocatharsin procreat, cum Avicenna 4.1.cap. 3.

Si vero hic fluxus contingat in morbi medio, die septimo, aut undecimo, aut in fine, concocto morbo fluxus rationem habere oportet, si morbus per fluxum judicatur, & æger leviter fert, nihil faciendum; sicut, si morbus est judicatus, quia tunc natura jam movit, & judicavit, & eam missam facito, & actionem ejus. Si vero non bene judicetur per fluxum febris, & reliquiæ adsint in corpore morbi, tunc naturam juva per locum ad quem ipsa expellere tentat. Exempli Gratia, si per urinas, provoca urinam; si per vomitum, tenta vomitum; si per sudores, excita sudores; si per uterum, seca talum: nam hujus sectio tam menstrua quam Hæmorrhoides excitat; si per nares, venam cubiti scinde.

Vires si renuant, cucurbitulas costis impone.

pone. Demum cave ne vacuationes perfectas interrumpas, motus vero imperfectos promovere studeas; nam hoc est quod supra dixit Avicenna.

Si vero, ut ad nostrum institutum redeamus, alvi fluxus in fine eveniat & levet ægrum, nihil faciendum. Si vero superfluus sit, ut fere solet, vel quia jecur est intemperatum, & bilem generat in majori copia quæ ad intestina delapsa, irritat naturam, & movet fluxum; tunc jecur epythematis temperandum, salvatella secanda, Rhabarbarum vel per infusionem vel in substantia exhibendum.

Si interim Diarrhæa accidat ex alia causa ut ex debili stomacho, liene, capite, tunc curandus est fluxus juxta naturam partis à qua dependet. Bona hæc doctrina est, semperque recolenda: nam nullum est frequentius symptoma in febribus alvi fluxu.

Objiciet aliquis: bonum esse provocare fluxum in initio morbi auctoritate Hippocratis instructus, qui dicit: fluxum curare fluxum. Respondeo: Hippocratem non esse intelligendum de alvi fluxu, sed de venæ sectione: quoniam fluxus sanguinis, qui fit per venam sectam, curat fluxum sanguinis è naribus, quod pro me ita Galenus defendit lib. de cur. Rat. per sang. miss. cap. 11. quo loco sic habet: non contemnenda est sanguinis missio, tanquam revulsorium auxilium, quod sæpe me facere vidistis in erumpente sanguinis fluxu

fluxu è naribus. ubi una hora sectâ venâ fluxum compescui. Sic idem fluxus sanguinis curat sputum, per vomitum, per uterum, per Hæmorrhoides, quando nimia fit evacuatio, demonstrante Galeno lib. 5. meth. cap. 3.

Et si adhuc urgeat quispiam: de fluxu alvi Hippocratem esse intelligendum; huic ita ego responsum volo: fluxum tempestive factum per alvum curare immodicum fluxum, non vero ut hic asserit ineptè diminutum: hoc est, fluxus fluxum immodicum curat, hoc est alvum nimis citatam coercet. Idque non medicamentis purgantibus, quia hoc esset præcipitare naturam & solvere ventrem supra ventris fluxum, quod pernitiosum est; sed faciendum medicamentis astringentibus, quæ stiptica sua facultate simul purgant, ut Rhabarbarum, Myrobalani &c.

Ex hisce dictis ratio sumi potest, quomodo Medicus debeat procedere cum evacuationibus symptomaticis: quæ non flocci faciendæ ob dictas rationes.

Exemplum, de Epilepsia uteri, parturientis.

PRægnans unum cum fætum peperisset Epilepsiâ gravissimâ corripiebatur, adhibitis omnibus quæ in ejus utilitatem excogitari possent, enixa est gemellos, & à gravissimo malo liberata, convaluit.

Morbum Herculeum plerosque mortales

inva-

invadere à Galeno sæpius est proclamatum lib. 3. de locis affect. cap.7. Quo loco dicit, quod Epilepsia, Convulsio est non perpetua, sed ex temporum accidens intervallis, cum mentis ac sensuum læsione.

Hæc triplex est: prima, proprietate in cerebro à crasso, mucosoque, flatulentoque humore pronata. Alia à ventriculo, quæ cum cerebro maximum consensum habet: tertia, ab inferioribus partibus, ut vasis spermaticis, tibia, pollice, pede, & aliis, è quibus aura insurgit cerebro inimica atque infensa, ipsumque concutiens, & feriens. Cerebrum autem insurgens contra noxam comprimitur, & ex hac compressione obstructio fit, & veluti dimicatione & luctatione facta, fit Epilepsia, dum aura cerebrum concutere nititur, & hoc illam expellere satagit, & in hac pugna convulsio, quousque tandem aura, aut vaporosus spiritus è partibus inferioribus elevatus evanescit, & resolvitur.

Sicut ab inferioribus partibus epilepsia concitatur, sic & ab utero originem frequentissime ducere asserit Hippocrates lib. de virgin. morbis, Mercat. lib. 2. de morb. mul. cap. 5 de Epilepsiæ varietate ex utero.

Hæc vel accidit quando mulier gravida est, vel in partu, vel post partum.

Epilepsiam gravidarum oriri ab excrementis putridis in utero retentis firmat Fernel. lib. 5. pathol. cap. 3.

Hæc

Hæc curanda eſt Epilepſiæ alterius inſtar, Enematis, frixionibus, cucurbitulis. & ſi ingens adſit apparatus morboſus, vena ſecta, expurganda mulier eſt, & alia facienda quæ auctores in curatione Epilepſiæ conſuluere. Attamen multa cum præmeditatione, gravidarum enim ſtatus medicamenta reſpuit; ergo vena ſecanda erit in minori copia propter uteri geſtationem, hoc intelligendum eſt, ſi vehemens ſit Epilepſia, & convulſionum vehementia ægram devexet; timorque ſit, ne ex his cauſis fætus ſuffocetur, & abortus fiat.

Vtrum ſanguinem in carnoſa, rubicunda, ſanguinea, in ſeptimo, octavo, nonoque menſe, conſtituta, è talo trahere debeam cum doctiſſimo Zacuto Luſitano lib. 1. Hiſt 32. necdum ſcio, rationibus quam graviſſimis munitus, quas in florilegio meo ſatis late videbit Lector.

Si vero in ipſo actu parturitionis accidit Epilepſia, ut huic mulieri, & forte præ debilitate fætum non pariat, aut hic non excretus moreretur, & graviori concuſſione affligeretur, ob veneficos humores cerebrum occupantes, quid faciendum?

Iuvandum eſſe partum, ſimulque vapores ad inferiores partes divertendos, quo minus cerebrum concuterent, dicerem. Fricarem crura, fomenta, decoctaque facilitantia partum, utero imponerem, Sic & clyſteria in jice-

rem, atque bezoardica exhiberem. Hæc si robusta sit, & febris ingens, partim ob Epilepsiam, partim etiam ob difficilem partum, sanguinem ex malleolis sine ulla hæsitatione emitterem: quod etiam faciendum jussit Hippocrates lib. 1, de morb. mul. n. 100. Si vero prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non possit; sed diebus pluribus, & partus doloribus laboret, sit autem juvenis in vigore, multoque sanguine referta, secare oportet venas in malleolis, & sanguinem detrahere virium respectu habito. Quem usum laudant Mauritius Cordæus, & Mercatus lib. 4. de morb. mul. cap. 3.

Huic sternutatoria ex castoreo, *galbano*, assa fætida, parata conveniunt. Purgatio nequaquam, ne forte humores in superis partibus redundantes, in uterum *lapsu præcipiti* ruant, fætumque suffocent.

Si vero post partum Epilepsia accidat, eam, si rectè menstrua procedant, à spurcissima feminis parte evenire, experimentum suadet. Retento menstruo, etiam excitatur à crasso humore in utero relicto, sic & à sanguine, qui post partum retentus, omnium fere morborum causa communis est.

Cui occurro (vereor ne ex sympatica epilepsia, ideopatica fiat) phlegmagogis, inter quæ primum locum habet, Agaricus, & quam plurima alia, quæ late nobis commemorata sunt à Mercato lib. 2. de morb. mul. cap. 5.

Castro

Castro lib. 2. de morb. mul. cap. 2. Et Valer. lib. 4. obs. cap. 6.

Exemplum, de inflammatione, & pruritu in Pterygomate, Nymphis, & clytore.

HOnesta quædam matrona in medio ingravidationis, seu gestationis tempore constituta, de summa punctione, & pruritu intolerabili, non in vulvæ labiis exterioribus, sed in illis aliis, quæ ab Anatomicis pterygomata & nymphæ dicuntur, conquerens; præmissis universalibus, solo succo granatorum acidorum parti admoto, ab hac scabie, prurituque, laus Deo, evasit.

Vteri pruritum fæminas tam in, quam extra gravidationem infestare certum est.

Hic ab acri mordacique humore, seu ichore bilioso ortum ducit in fæminis præsertim calidi temperamenti, hirsutis, & gracilioribus. Non solum hic humor pungit & irritat has partes, sed exulcerat adeo, ut ulcera cacoëtica efficiat.

Signa sunt manifesta, nam præter pustulas grani mylii similes in labiis vulvæ subortas, pruritum, ardorem, & dolorem sentiunt; imo vigilant, sitiunt, febricitant.

Curatio notissima. Aër sit frigidus, humidus, cibus sit ejusdem naturæ tenuis, bonæ concoctionis, potus sit aqua hordei cum syr. ros. lax, vel cassiæ pulpa, vel Rhabarbaro: quæ

cum

cum attemperantia ſint, bilioſum humorem retundunt.

Serum lactis, alioquin in ſimilibus affectibus ſingulare præſidium, gravidis ita cruciatis liceret ne exhibere; diureticum cum ſit, & menſtrua provocans?

Concedi poſſe aſſero, dummodo in eo aſtringentia ut Rhabarbarum eſt, & Myrobalani citrini, infuſa, macerataque fuerint.

De venæſectione in talo hæſitatio ſumma eſſe poteſt: nam, cum hoc remedium hoc in caſu ſit optimum, expertum ab Otteo, Zacuto Luſit. jure merito poſſe adminiſtrari dicet quiſpiam, præcipue ſi mulier ſit robuſta, plethorica, viribus valida.

Dico hanc eſſe tutiſſimam viam pro uteri pruritu ſanando, ob cauſam conjunctam, gravida ſi non eſſet; ſed hæc cum provocativa & vacuativa ſit, & in medio geſtationis tempore conſtituta, non auderem. Sed bene, ſi in proximo partui, quoniam tunc talis phlebotomia juvaret, teſte Matheo Gradio, In conſult. 77. Quare tutius ſecarem utramque baſilicam.

Hiſce ſi non ceſſaverit affectus, ſæpe contumax ob excrementorum defluxum; utere Epithematis hepati apponendis, vel injectionibus humorem in vulva infixum temperantibus, quæ parantur ex hordeo, lactuca, violis, malvis, roſis, foliis vitis, flor. Nympheæ, aqua fontana, & lacte mulieris.

Lac

Lac Virginis maxime huic convenit malo, sic & succus granatorum acetosorum, quo ego usus fui, in hoc, & similibus affectibus, summo cum levamine.

Ne utaris stipticis, in initio mali, nam alias humorem repelles ad interiores sedes, sicuti legimus Empiricum tempore Galeni fecisse lib. 4. meth. cap. 4.

Balneum in hoc statu convenit minime, quia relaxat, & abortum concitat.

Fontanella, quam in aliis fæminis utilem esse prædixi, in gravidis inutilis est, quoniam caustica vi dolorem & abortum concitant, atque fætum præcipitant.

Quæres num hæc fæmina laboraverit morbo gallico?

Negativè respondeo: nam præterquam quod hic affectus omnibus fæminis communis est citra contagium, nec ex fæmina nec marito ejus ullum indicium accipitur: quare si indifferenter, & promiscue sudorifica remedia lui venereæ appropriata huic malo applices, ægris mortem accelerabis, nam uteri pruritus & vulvæ ab humore calido, sicco, salso, acri, bilioso ortus, calidis applicitis, exasperatur, & hepar incandescens humorem attenuat, & ita eum sæpe sæpius ad faciem, & cutem detrudit, ex quo oritur insuperabilis morbus ille Elephantiasis.

Exem-

Exemplum, de Menstruis suppressis.

Filia quædam ætate viginti annorum, post suppressa lochia, in febrem incidit continuam, quæ, factis evacuationibus universalibus, tam per venam sectam, quam per medicamentum purgans, & apozemata varia, convalescere non potuit, quin febre persistente, & contabescente filia, tussis ingravesceret magis, & exasperaretur.

Quæritur modo pro hujus curatione, num Medicus debet esse solicitus de provocandis lochiis, an vero de Tussi, quæ spiritales partes infestat, & ex qua tabes & mors impendere solent?

Hanc rem determinare difficile est: nam si partes inferiores perpendamus ab iis originem mali scatere, non dubitabimus cum Hippocrate lib. de locis in homine. Et lib. de virg. morb.

Tussim etiam ab hoc fonte emanare credendum est, quandoquidem uterus cum omnibus nostri corporis partibus consensum habeat, & præsertim cum pectore quod mutua distentione & contractione materias in inferioribus partibus sitas, continuo ad se convocet. Deinde febris hæc ex obstructione dependet; ergo obstructio prius curanda referantibus, attenuantibus, & aperientibus. Vltimo iecur, subjectum febris hujus, non bene ob

ob-

obstructiones ventilatur, quod hoc pacto deobstruendum, roborandum est, & refrigerandum.

Ex altera parte quod tussis primo curanda sit cæteris neglectis indicationibus, urgentissimum argumentum facit, quia humor est in parte principe impactus, vel ad hanc decumbit continuo: unde si partes spiritales humore lento, & crasso infartæ, non abstergantur, & mundificentur, timor est ne procedant in pulmones, quibus obstructis, & nequientibus cordi parare refrigerium utile & bonum, omnes corporis partes debilitantur, & non rite concoquentes Atrophiam patiuntur.

Accedit quod calor igneus in corde ab eo procedat, colliquet carnem, & sanguinem, unde carnium extenuatio sequitur & contabescentia.

Secundo, si febris primo curetur ex obstructione suborta, relicta tussi, debet curari attenuantibus, & aperientibus: sed hæc thoracis vias aperiunt, dilatant, & cum calida sint, jecur, & cor inflammant, sanguinem acriorem reddunt fluxioni paratum, cor excalfaciunt, & sic liquant humores, redduntque corpora apta Hæmopthoisi, vel Tabi.

Hæc Ratio est, ob quam multi Galenum lib. 4. de locis aff. cap. 8. calumniantur, qui in exspuentibus crassum humorem, pectori non nisi calida applicabat. Id verum esse, ille de Archigine prodidit, qui non ut multi, hoc

tem-

tempore, pertinaciter tuebatur errorem; difficile enim eſt, homo cum ſit, non etiam in multis errare.

Quare tuſſis à calido humore genita, vel à frigido, lentoque ſucco originem ducens, tractanda primo eſt modicee frigidis, humidiſque abſtergentibus medicamentis, quoniam ita attemperamus calorem, humorem exaſſantem, & in calculum vertentem, uti ſæpe vidimus in ſimilibus affectibus: & exemplum poſuimus in annotationibus noſtris ſupra praxin Dodonæi cap. de Tuſſi. Cujus etiam meminit Trallianus lib. 5. cap. 4. quo graviter contra Galenum inſurgit.

Ergo in initio purgatio inſtituenda *lenioribus* pharmacis, ut ſunt pulpa caſſiæ, manna, Diacatholicum, ſyrupus Violatus, Roſarum pallidarum, & aliis ſyrupis, qui *præditi ſunt* facultate abſtergente.

Aperientia & attenuantia, fugienda. Humor incraſſandus, & humectandus, ſyrupis violati compoſiti, papaveris, Glycirrhyzæ, Apozematis factis ex decocto violarum, jubarum, & fructuum dictorum ſebeſten.

Et cum caput in primis patiatur debileque ſit generando craſſos ſuccos ad pectus decumbentes, idcirco id roborandum cucuphis factis ex herbis exſiccantibus.

Et cum non poſſit impediri quin non emittat humorem in pectus, quia adeſt diuturna intemperies, idcirco humor ad ignobiliores

ducen-

ducendus partes, fontanellis in brachiis factis Per intervalla pilulæ de Cynoglossa exhibendæ. Quod si febris persistat, & corpus ægrorum contabescat, hi tanquam Hectici curandi, lac caprinum exhibendum, quod contemperat, adstergit, nutrit, impinguat. Roborandus ventriculus, firmandum jecur, & tandem ad balnea deveniendum.

Exemplum, de Abscessu in femore dextro.

IVvenis orphanus incidit in tumorem in femore dextro, qui cum summè excrevisset, aperitur, ex quo multum materiæ substantiæ crassioris, subalbicantis, digitis extrahit Chirurgus. Perseverante ulcere tandem ad cicatricem deductum est, elatum vero ad magnam molem; deinde rursus apertum, ex eo magna carnis excrescentia visitur, quæ partim forfice, partim causticis, à dexterrimo *Mro. Alberto Hop* jussu excellentissimi Doctoris *S. Costeri* ablata. Huc accedit quod pedem difficile admodum movebat.

Dicam itaque de difficili motu flexuræ, de carnis mole.

Excrescentia carnea sic aucta, morbus est in magnitudine, ut docuit Galen. lib. de diff. morb. cap. 9.

Non silendum vero, excrescentias carnis fieri in ulceribus ratione ipsius ulceris. Non est autem simplex hæc carnis exulceratio, verum potius abscessus: atque putarim fuisse hic

vel Steatoma, vel Atheroma, respectu materię sevum, vel pultem æmulantis.

Nihil autem mirandum in magnam molem carnem excrescere, siquidem *Antonius Benevenius* in libro suo de mirandis, gravioris cujusdam casus meminit, dum scribit se curasse mulierem ab excrescentia carnea ad pondus sexaginta librarum accedente.

Huic sententiæ astipulatur etiam *Iohannes Langius* Epistola 43. Et nos fatuum vidimus, cui tanta adnata est carnis excrescentia, ut à viginti quinque libris nihil absuerit.

Vidimus & alium, excrescentiam carneam vertebris annexam habuisse triginta librarum pondere.

Quod ad præsentem casum attinet, existimo hanc excrescentiam non tam esse ratione vulneris, quam propriæ excrescentiæ carneæ.

Causa mali quærenda. Generalis fuit multi sanguinis fluxus, qua non sufficiente succedit & altera facultas, videlicet carnifica.

Sed quæret quis quæ causa copiosi sanguinis? Quod ad copiosum sanguinis fluxum attinet, fit, quia attrahitur ratione vacui: vel quæ potior causa, propter viarum amplitudinem. Non esset etiam præter rationem existimare fieri multi sanguinis fluxum à constipatione cutis: nam ut dixit Hippocrates: cutis constipatio carnis incrementum. Hęc pro 1. quęsito.

Vlterius quæritur, quî convertatur in carnem? Duplex ejus ratio est, altera quia caro gene-

generata est ante exulcerationem; altera, quod in præsenti casu facultas carnifica sit quadamtenus adaucta. Atque quæ hic caro est, æquivoce caro dicitur, quod fiat parte imbecilli existente, ex intemperie frigida, & humida.

At quærat quis, cur motus pedis plantam usque omnino impeditus fuerit? moveatur quidem, sed flectione difficili.

Huic Respondemus partim propter diversam nervorum originem, partim propter magnorum nervorum, qui in femore aut obstructionem aut compressionem patiuntur, concursum. id quod in planta pedis non fit.

Atque hæc de his sufficiant.

Exemplum, de genu inflato.

IVveni genu inflato laboranti causticum cum in parte exteriori applicaret Chirurgus, aperto tumore ex eo flatus fætidissimus emanavit, cujus patella, cariata atque ossa erant.

Inflatio genu Medicos Chirurgosque anxios reddere solet, ut sæpe vidimus; quandoquidem ægri post longos, intolerabilesque dolores claudi remanserunt, & malum hoc vel in fistulam, vel in cancrosum ulcus mutatum fuit.

Tumor hic in frigidis & humidis corporibus nascitur ex materia flatulenta, nebulosa, & crassa, quæ tendinum, musculorumque cavitate ita infarcit & opplet, ut præ dolo-

re, & pulsatione quæ in hoc visitur, Chirurgos sæpe decipiat. Qui decepti intrepidè tumefactam partem scalpello secant, ex qua, loco puris, flatus fætidus exire solet.

Curatu malum hoc est difficillimum, ob rationes quam plurimas. Prima. Quia hæc pars in declivi loco posita est, ad quem excrementa suapte natura decurrunt. Secunda. Ob partis motum, humorem ad se attrahentem. Tertia. Ob coarticulationis magnitudinem, nam in magna cavitate flatus nebulosi, & viscida pituita, tenaciter adhęrent. Quarta. Quia hæc pars exanguis est, & frigida, & præ inopia caloris flatus non discutit.

Curationem inter omnes auctores optimè depinxit Guido, qui lib. 1. de Tumor. P. N. titulo de genu Inflatione sic inquit: Et scias quod in ventoso genu apostemate sentitur materia intus; & si secatur, non exit nisi flatus. Avicenna etiam 7-4. cap. de genu Inflato hoc negotium ex professo disputat.

Curationis summa est, ut vacuetur totum prius, deinde pars. Curatur totum victu exiccante, calida diæta, & flatus experte. Venæ sectio non admittenda. Purgatio optima, quæ flatus crassosque succos evacuat. Præparetur humor incidentibus. Sudorifica optima ex radicibus Chinæ, Salsaparillæ, ligno Guajaci, Sassafras.

Balnea naturalia, & usus vinatiorum effervescentium approbantur practicis. Sic & artificialia. Hisce

Hiſce ſi non miteſcat affectus, partem ure candenti ferro, quoniã mucoſus humor ignis vi abſumitur, flatus exhalat, pars roboratur.

Vnguenta conveniunt Marciaton, Aregon, Agrippæ, olea Euphorbei, Aniſi, Guajaci, Caſtorei, piperum, Therebinthinæ, quibus admiſceatur ſpiritus vini.

Multoties accidit, ut abſumpto flatu æger bene ambulet, ſanuſque videatur, & quandoque poſtea de novo flatulenta materia, & ſeroſa aggregetur, quæ iterum genu elevat, uti nobis videre liquit, non ſolum in hoc ægro, ſed quam plurimis aliis; quid tunc agendum? Fidiſſimo experimento utiliſſimum eſſe probavi Emplaſtrum Vigonis de ſtercore caprino, quod tale eſt. ℞ *Stercoris caprini* unciam j. *furfuris macri* unciã ſemi. ℥ *Farinæ lupinorum*, *orobi* ana Drach. iij. cum *aceti acerrimi* q. ſ. F. *Cataplaſma*. Sic utor ſtercore bovino recenti, permixto cum oleo lumbricorum, Gummi Thacamacca, & Terebinthina.

Si non ſuccumbat hiſce, neceſſe eſt experiri emplaſtrum de Ranis Vigonis, cum triplicato Mercurio.

Si pars rubicunda ſit, decem aut duodecim Hirudines genu inflato apponendas cura.

Tres, hoc morbo affectos, fonticulis in parte domeſtica ſupra genu palmi longitudine, apertis, curatos vidi: nam materia partibus ſuperioribus ad affectam defluens his intercipitur, & expurgatur.

Aratione non alienum eſt,revulſionis,& derivationis cauſa, in altero crure etiam aperire,quia mire ægram præſervat partem.

Exemplum 2. de genu inflato.

QVadragenaria paupercula curis laboribuſque confecta,quæ licet menſtrua ſingulis menſibus ordinate haberet, tamen flatulentia genu laboravit:hæc hirſuta cum eſſet & jecore calido,& melancholica,in pede lævo, maculæ quædam viſæ, quibus neglectis, tractu temporis, aſperæ, rugoſæ Rhinocerotis pedum vel teſtarum ſimillimæ apparuêre, quæ tandem pedis internam, externamque partem miraculoſe occuparunt, tam duræ,ut ſi digitis totam cutem elevares,id faceres ſine ullo ſenſu,vel dolore mulieris.

Tumores omnes ex ſucco fæculento pronati,ſemper duritiem ſecum trahunt,quia hic humor terrenus eſt, ac durus, qui cum melancholicus ſit, illico acrimoniam induit, & dolorem concitat,at ubi jam induruerit nullus dolor ſentitur;uti apparet in prædicto tumore;qui niger eſt,durus,inęqualis, ſenſuque carens. Ab Arabibus Hypopia vocatur.

Recordor quod in Noſocomio cum excellentiſſimo, doctiſſimoque Doctore Coſtero ejus ordinario, vidi Senem qui à tibia ad minimos uſque digitos pedum, habebat hanc maculam nigram cum quadam raritate:nam prȩter nigritiem,è cute aculii junci inſtar acutiſſi-

tissimi, in radice crassi, & in cuspide tenuissimi, unde totus pes puncticulis & istis aculeis erat infertus, animalis cujusdam dicti Echini instar, promanabant.

De præsagio hujus maculæ, certum hoc malum esse pessimum; & ni curetur abscessus, alii, ex causa superiori fovente jecore nempe, & liene in tibia, & in cute oriri possunt qui negotium amplius facessant, quare curare illico oportet.

Decreto optimo vitæ regimine, in sex rebus non naturalibus, præsertim in victu arcendo melancholico, cum pars non possit curari prius, quam totum; necesse est, ut hoc, facta evacuatione, persanemus.

Malo huic revulsionis, & evacuationis causa, & ad jecur temperandum, sanguinis missio necessaria est, hocque ex salvatella. parce tamen.

Caute purgatio instituenda, quia pars inferior laborat, ne forte humor præcipitetur, ulceraque foveat: Quare præparabimus humorem melancholicum, syrupis Boraginis, Fumariæ, de pomis Saboris, aquis lupulor. boraginis, melissæ, fumariæ.

Purgatio fiat ex confectione Hamech, pulpa cassiæ, Diasenna, syr. rof. cum sennis, polipodii, & Epythymi.

Magnum auxilium est serum lactis, in quo per noctem myrobalani, senna, & alia melanagoga infusa fuerint.

Maculæ nullum applicandum auxilium, nam ſublata cauſa fovente, ſquammæ ſponte decident. Ad hoc inſtitutum lege Galenum lib. 14. meth. cap. 17, qui hiſtoriam narrat de muliere Romana Herpete in malliolo laborante, cui medici applicabant unguenta aſtringentia, & reſtricto humore, ulcus in inguine repullulabat: hæc curata Galeni ope, unguentis abjectis, ſero lactis cui addiderat ſcammonium.

Hoc medicamentum pro vacuando humore melancholico ſingulare eſt, & ut idem teſtatur 2. ad Glauconem pro curanda lepra, Elephantiaſi, Carbunculo, & cæteris vitiis hujus generis.

Et quia hic affectus ex imbecillitate partium dependet ſuperiorum, nempe à jecore calido, & liene turgente melancholico ſucco: idcirco in uſum balnea utiliſſima ſunt facta ex decocto Malvæ, Violariæ, Camæmilli, Pampinorum vitis, roſar. Lactucæ, Nymphceæ, &c.

Hirudinum impoſitio ſupra Hæmorrhoides utiliſſima, & poſtquam totum corpus bene ſit evacuatum non abſonum videtur mihi nonnullas ſanguiſugas loco affecto affigere, quarum ſuctu humor in eo impactus melancholicus, abſque dubio, vacuabitur.

Pars tam diu fovenda, lavanda, donec ſquammæ molleſcant, & decidant, præſcripto decocto.

Fiat

Fiat fonticulus in crure dextro : hoc enim auxilio non tantum humor ad partem contrariam contrahetur, sed jecur exspirabit, & sic præparabitur humori via, qua ab eminenti malo ægri liberabuntur.

Exemplum, de Febre maligna.

IUvenis quidam carnosus & robustus, post rigorem incaluit cum siti, pulsu frequenti, vehementi, & magno, urina rubra, cum lassitudine totius corporis ulcerosa, & omnibus aliis signis, quæ plenitudinem gravatam adesse testabantur. Demum synocha febre laborare videbatur. Attamen bis secta vena convaluit, catharticoque exhibito incidit in Paraphrenitidem, manuum jactationem, anxietatem, vigilias, & alia quæ meningum inflammationem adesse significabant, futurumque delirium portendebant.

Quæritur modo quæ hæc sit febris, & quod adhibendum auxilium? Respondeo. Febrem esse synocham, malignam tamen. Esse synocham ex allatis signis patet, ut probat Galenus lib. 9. meth. cap. 4. Malignam esse patebit ex causis sequentibus. Prima. Quia invasit partem principem & præstantem, nempe cerebrum, unde delirium; sed non perpetuum, quandoquidem, non per primariam affectionem, sed per consensum, elevatis vaporibus ab aura venenosa ex minera putredinis prognata, idque in majoribus venis, à qui-

bus ab apparatu morboſo vapores elevantur cerebrum ſtimulantes, animalemque facultatem irritantes.

Hi cum partim ſint bilioſi, & mordaces, dolorem capitis, & vigiliam adferunt. Partim pituitoſi fluxionis participes, Coma fit, vel per ſe ad Lethargum tendens, vel cum vigilia, & fit Coma vigil, quibus ex ſignis certo prædici poteſt futura Phrenitis; quæ inflammatio eſt cerebri, & menbranarum ejus, ex Galeno 2 de ſymp. cauſ. cap. ultimo.

Arguitur ſecundo eſſe febris maligna, quia habebat ſe melius in principio, procedente verò morbo gravius & in Paraphrenitidem incurrebat: de hoc malo legat qui velit Galenum lib. 6. Epid. ſect. 6. comment. 15. & 3. criſ. cap. 4.

Hic licet parvus videatur, poteſtate tamen maximus eſt, quare decipiuntur eo celeberrimi medici. Malignitas ejus in initio adhuc latitans, clam, furtimque & medico & laboranti inſidiatur.

In hac febre pulſus adſunt boni, urina bona, bene cocta, teſte Avicenna 2-4. tract. 1. cap. 2. & 8. quare caute agendum. Nam hoc pulſu, & urina bonis, moriebantur ægri apud Hippocratem 1. prorh. ſect. 2. text. 24. & Galenum lib. 3. de præſag. ex pulſ. cap. 3. & 4. quia cauſa hujus morbi non eſt putreſcentia ſolum cujus coctio in urina eſt, ſed venenata qualitas, quæ naturam proſternit, & tandem ſpi-

ſpiritus exſtinguit : unde Fernelius 4.pathol. cap. 13. febrim malignam definit quæ non modo calore, ſed venenata qualitate cor fatigat.

In ſimilibus caſibus multoties urina fit alba juxta oraculum Senis, quibus in febribus urina clara eſt,& perſpicua,malum:præſertim in delirantibus.

Significat, bilem urinam tingenten caput verſus volaſſe, Phrenitidem concitaturam, quæ ortum ex bile ducit:ratiocinante Galeno lib.5.aph. & magis urina ſi ſit perturbata jumentorum ſimilis, quoniam iis dolor capitis vel adeſt, vel erit.

Toto conatu illico humor depellendus eſt à capite, ne ex Paraphrenitide Phrenitis fiat.

Ergo detondendi capilli,& bregmati oxyrrhodina applicanda actu frigida cum Galeno 13. meth.cap.21. ut demulceatur humor bilioſus, & acris attemperetur, & repellatur. fiant ita: ℞ *Aquæ plantaginis*, uncias IV. *aquæ roſarum*, uncias ij. *olei roſati*, *Aceti roſ.* ana unciam j. M. F. *Oxyrrh.* quod imbibatur linteolo capiti applicando.

Fiant frictiones crurum ad revellendum, & ligaturæ. Cucurbitulæ coſtis ſuriſque adponendæ ut docent Mercatus, & Pereda Paſchalii ſcholiaſtes lib.2.meth. cap.2. hæ loco ſunt venæ ſectionis, tamen non ita vires dejicientes, quas valentes ſervare oportet. Hirudines per apertionem venarum Hæmorrhoi-

dalium à capite revellere sine virium dispendio certissimum est, quare iis utere.

Clysteria semper injicienda emollientia, & lenientia ad humorem educendum biliosum appropriata. Restaurandę vires jure Gallinæ, vel vervecis cum succo recente limonum: edat sæpe: quia, qui in hoc malo bene edit atque bibit, citius à morbo liberatur, teste Avicenna 1.4. tract. 4. cap. 4.

Potus sit decoctum hordei cum tamarindis, & succo limonum. Cerevisia tenuis cum prædictis macerata. Calida, ut vinum & similia fugienda. Cibus sit refrigerans, & humectans, putredinem arcens, ut poma, pyra assa saccharoque respersa, pruna cocta, lactuca, & borago coctæ & cætera; Conservæ cerasorum, Ribesiorum, viol. borag. calend. caules lactucæ optimæ. Conf. Mitridatii, Theriaces, Diascordii frac. Alkermes, & Hyachynt. convenientissimæ, cum aqua boraginis, acetosæ, vel cardui benedicti mixtæ. Magisterium perlarum, lapis bezoardicus laudatissimus. Sic & species liberantis, Diamargariti frigidi: Lætificantis, & aliæ.

Notandum unum, Theriacam & Mitridatium suspecta esse in calidis & æstuantibus febribus: quia impensè viscera calefaciunt, & inflammant quamvis aquis frigidis & cardiacis permixta sint: quare utere potius confectione Hyachint. Diascordio & hujusmodi.

Dices Galenum magni fecisse has compositio-

ſitiones. non minus ego, ſi quis loquatur de peſte quæ plus veneno, & mala qualitate cor fatigat, quam putredine.

Si vero morbus in melius tendat, humores coquere neceſſe eſt; & ſi ægri purgandi videantur, juva levioribus, ut ſunt caſſia, ſyr. roſ. lax. manna, Rhabarbarum, Agaricus.

Cavendum ſemper à vehementioribus; nam fervefaciunt humores, ac calorem denuo accendunt. Si nonnullæ craſſioris humoris reliquiæ reſtent, per Epicraſim eas expurga blandiori apozemate, ex Hordeo, Rhabarbaro, agarico, ſennis, herbis aperientibus, & cordialibus, parato. Cui adde vel mannam, vel ſyrupum roſ. lax. & ſimilia.

Si procedente morbo jecur, maneat inflammatum, ſerum lactis propina Rhabarbaro infuſum.

Poſt decimum quartum, aut vegeſimum, qui terminus acutorum eſt, diem, ſeca baſilicam, Epithematis jecur fove, Renes refrigera, & ptiſanam impera.

Interim ſi vigilia infeſtet, tempora unguenda oleo populei, cui adjecta ſunt x. vel xv. grana opii aceti diſſoluti, vel Drachma Philonii Rom, exhibenda in juſculo, vel aqua lactucæ: tamen cum ſumma præmeditatione.

Exemplum.

MAtrona honesta obesa, cum in die critico, imo apparentibus sudoribus ex Medici jussu haustum expurgantem assumebat, obiit ad vesperam.

Hoc loco, hoc tempore jure merito mihi cum Galeno exclamare licet, nonnullos Medicos (dicam medicastros) nulla facta præmeditatione de Diebus judicatoriis, remedia in iisdem præscribere naturam pervertentia; uti vidi summo cum dolore in curatione hujus ægræ, potius mactatione: quæ, absumpto pharmaco, post paucas horas obiit.

Quare hos inimicos naturæ & ægrotantium hostes; imo homicidas appello.

Quis enim sanæ mentis compos in hac muliere, factis prius tempestive vacuationibus, tam phlebotomia, quam cathartico, septimo die exonerante sese natura per sudorem, quæ optima est evacuatio in venosi generis morbis, (quoniam universaliter totum levat corpus) aliud auderet exhibere auxilium, perturbare naturam, ne dicam purgationem consulere, ex Diametro vacuationi, repugnantem? Certe lege Hippocratem aliter, lib. 4. acut. textu. 10. sentientem dum de ardenti febre sic loquitur: Et si è naribus fluxerit sanguis, solvitur ægritudo, atque si sudores supervenerint. Quare Galenus medicorum stupiditatem lib. de præcog. ad Posthumum

mum rectè deridet, qui post quintum diem juveni febre prehenso, non tantum operante natura, sed instantibus signis Hæmorrhagiæ sanguinem emittere volebant: ignorantes doctrinæ Hippocratis, 1.aph.20. *quæ judicantur movere non oportet.* Præsertim in die critico, pharmaco purgante exhibito quod natura sua humorem pervertit.

Obtrudes, magnam humoris esse sarcinam, nisi levemus naturam, non posse illam sibi sufficere. quare necesse est, ut aliquo auxilio juvetur.

Verum quidem id esse, respondeo, sed per eandem regionem juvandam naturam esse cum Hippocrate assero; quare septimo die, si prius in urina concoctio adest (& licet non adesset) sudorem provocare debemus, imitantes naturam, exhibito potu calido, humido reserante, & si adsit malignitas cardiacis pugnandum: tali forma paratis: ℞ *Diascordii fracast.* scrup. ij. *Lapid. Bezoardici orient.* scr. semis. *syr. è succo card. ben.* unciam semis. *aq. card. ben.* vel *boraginis* uncias ij. & semis. Misce. f. *Haustus.* Vel, solo lapide Bezoardico, vel confectione Hyacynthorum, vel Theriaces, vel Mitridatii.

Si urgeant anxietudines in actu sudoris, ad exteras partes vapores venenosi evocandi, imitando naturam, idque cucurbitulis quæ venenum foras trahunt, poros aperiunt, sudorem provocant, & naturam levant.

Sed

Sed antequam ulterius procedam quid de sudore senserit Hippocrates lib. 1. progn. 26. hic agendum duxi: quem duplicem constituit, nempe optimum, & bonum. Sudor optimus, inquit ipse, is est, qui omnes acutos morbos si die decretorio evenit, solvit: Bonus vero, si & toto corpore prodeat, faciatque, ut æger ferat facilius morbum. Quo textu aperte patet, quod purgatio, hoc in casu administrata, pessima fuerit. nam bonus erat sudor & in die judicatorio, à toto prodiens corpore; qui licet tunc ægram non juvaret, poterat deinde juvare, provocando eum, & non interturbando.

Hoc supposito; Rogabis, nunquid in die decretorio auxilium celebrandum? at ego hoc non dico, quia arbitror in die judicatorio, & non indicato à suo indicante, si febris infestet, concoctio non adsit in vrina, auxilium esse celebrandum mihi persuadeo. Quare urgente morbo, & cogente necessitate in die decretorio non judicante, & non indicato, tam sanguinis missione, quam medicamento purgante opus esse affirmo.

Videlicet, corripiatur Ambrosius acuta febre, in quarto appareat alvi fluxus, aut sudor; in septimo talis spectatur evacuatio, quia speciem evacuationis, indicabat quarto die natura, quare judicans observandus. Demum, quod si adsit inflammatio interna, aut urgeat morbus, suaque sævitie periculum minetur

tur die judicatorio non judicante, potest, imo debet celebrari vacuatio.

Attamen nostrum exemplum versatur circa diem decretorium actu decernentem, & judicantem per sudorem morbum, quare cane & angue pejus detestanda purgatio est; quæ ex directo sudori aversatur.

Si vero post motum peractum, parvum aut longum sudoris levamen sequatur, perseveratque morbus, urgetque febris, tunc si natura non movet, move tu, motu & hora ejus, quare necesse est iterum deonerare per aliam regionem convenientiorem, & sic levata natura concoquat quod concoqui est aptum, & expellat id, quod expelli debet. Si aliter feceris ægros præcipites dabis in mortem. Ideo optime dicebat Galenus: miser æger qui in mali Medici manus, tanquam in alteram belluam inciderit: bene Fortunatus, qui à methodico Medico curatur; nam hic tempus auxiliis peragendis accommodatum inveniet.

Quod cum ignorabat hic nomine solo Medicus, absque dubio hanc ægram acuta febre prehensam, interfecit.

Exemplum, de Esu Cicutæ.

VEtula, vel ut melius, mulier quinquagenaria ab aliquot annis cum peste laborasset, & à peste liberata somnum capere non potuisset, consilium ut mihi retulit, cum nonnullis mulierculis inivit, & cum nulla ars sit quæ

quæ plures habeat opifices arte medica, ex illis una dixit ut acetarium ſumeret ſub veſpera cum pauculo Cicutæ aſperſum, ex cujus eſu bene ſubdormivit: ea utebatur in diem meæ viſitationis, quo arripiebatur febri admodum periculoſa, nempe Synocho putrida. ego ut ſoleo præſcribo alterantia, humectantia, purgantia, venam ſeco, & cucurbitulas adhibeo. Poſt decimum quartum diem æſtus ceſſat ille febrilis. Conqueritur de vigiliis nimiis. Præmiſſis univerſalibus ut hic feci, auſus ſum exhibere duo grana Laudani Opiati, ſumit, inde non quievit. Reverſus, ſe non dormiiſſe aſſerit, adjicio tertium granum, renuit natura; tandem ad quartum, ſeptimum, octovum, & nonum venio, ſed ægra manſit denuo inquieta. Ab illa peto cauſam hujus inſomnietatis. Retulit ea quæ præmemoravi. tunc conſilium mutavi, & ad aſſueta me verto, dicoque ut ſumeret acetarium Cicuta more ſolito inſperſum, quo utitur & optime quievit, & poſtea Deo, mihique gratias egit maximas.

Dom. NICOLAO FONTANO,
Amico integerrimo ſalutem dicit
IOHANNES BETH. M. D.

VT nauta maris profunditates perſcrutari, fluctuumque gyros & anfractus pervagari non dedignatur, ut mundi cognitionem habeat; ſic Fontanus Medicus exercitatiſſi-

tiſſimus, patris Nobiliſſimi piæ memoriæ viſtigia imitans, hominem μικρόκοσμον contemplatur, arcanas rerum naturas, & cauſas abditas cognoſcit, ſigna deprehendit, futuros morborum eventus multo ante proſpicit, ſanitatem conſervat, morbos profligat, ac animam ferè è corpore fugientem non ſolum retinet, ſed & plerumque velut ab Orco revocat: quod cum noverim, duo à te exempla admiratione digna repetam, & diſpiciam, primum mulieris alicujus quinquagenariæ cum Peſte laboraſſet, & liberata ſomnum capere non poſſet, etiamſi grana octo vel novem Laudani Opiati exhiberentur, tandem aſſumpto acetario Cicuta more ſolito aſperſo optime ſane quievit.

In quo duo ſunt inquirenda & diſcutienda; cur illa mulier ex uſu Laudani Opiati nullum ſenſerit commodum?

Alterum, cur Cicuta ſua vi deleteria mulierem non læſerit?

Secundum mulieris vetulæ extenuatæ, cujus brachia cum tangerentur, ſi brachia brachia, ſin tibiæ tibiæ frangebantur. Vtrum oſſium tanta poſſit eſſe extenuatio rationem vix invenio, verum oſſium articulationes ob ligamentorum debilitatem diſlocari & divaricari poſſe facillimè credidero.

In quibus te mihi ſatis facturum ſpero. Vale raptim è Muſæo meo vigeſimo quarto die Decemb. Anno 1638. *Tuus idem qui ſemper Iohannes Beth.*

Eru-

Eruditissimo, expertissimoque

Dom. Doct. IOHANNI BETH, amicorum optimo. S.P.

Litteræ tuę videntur nimium hyperbolicæ Clarissime Domine Doctor cum tibi satis constet artis Medicæ incertitudo, experientiæ fallacitas, & judicii difficultas, non enim tam proclive est animas orco destinatas inde rursus expediri; hoc enim divinum est, nulli nec Æsculapio etiam datum, tametsi temeraria credat Antiquitas, intra terminos enim nostros nobis persistendum est.

Quod ad quæstiones tuas attinet, dignæ sunt quibus respondeatur.

Ad primam dico plura esse, quæ effectus medicamentorum impediunt, quare Laudani Opiati suapte natura somniferi actionem interturbat canalium angustia, quæ vel ex ætate, vel ex crassorum lentorumque humorum copia evenire solet; quo factum est, ut opium positis hisce impedimentis, vires suas exercere nequeat; contrariò effecturum in temperamento contrario calido, & deobstructis viis, per quas patentes, vapor somniferus opii ad cerebrum, somni domicilium, ascendere potest. Hanc solutionem multo ante confirmavit Galenus celebri illa historia lata, 3. simpl. 17. de quadam ano, quæ assumpta multa portione cicutæ, qua plures interne-

cari

cari poterat, ea pro alimento utebatur.

Evidens ibi patet exemplum de sturnis, qui cum vescantur cicuta, lædi non solent, nec in somnum profundum incidunt, quia sturni strictas habent vias, per quas conniventes, vapor communicari nequit.

Ad secundam dico. Cicutam non habere vim deleteriam natura suapte, nec esse à tota substantia, seu toto genere lethalem; sed quantitate sola, quæ si in parva copia assumatur, minime lædit, sed divicta à natura & superata à calore nutrit, & in pituitam & postea in sanguinem convertitur.

Nec mireris inter coquendum, elevatis vaporibus frigidis & lentis somnum conciliasse cæterorum alimentorum frigidorum ritu, quæ somnum movent, & nutriunt, de quorum genere sunt lactuca, acetosa, portulaca, & si quæ alia.

Neque quod ex opii usu somnolentia sit sequuta, nam opium utpote magis inimicum naturæ non ita natura amplectitur, sed respuit, quo pacto non coquit: & sic fumos somniferos non elevat.

Dico secundo, opium est magis densum; solidum, non ita per corpus distribuitur, & sic non tam cito somnum excitat.

Solvo tertio, quod multoties Medici usu opii finem non consequuntur. Quæris causam? quia partes calidæ amaræ plures existunt in opio, quæ sæpius calorem innatum

exa-

exacuunt, & pro ſomnolentia pervigilium concitant.

Quare ſi harum dubitationum experimento fides eſt exhibenda, illis hoc modo reſpondendum eſſe puto.

Vale mi Domine & *Tuum Fontanum* Te amantem redama. *Ex Muſæo* 20. *Martii.* 1639.

Exemplum prodigioſum, ex oblato veneno, Capillorum defluvium.

Doctor

FRANCISCVS de PAZ,

HISPANIARVM REGIS,

&

Sereniſſimi Cardinalis

FERDINANDI

Medicus celeberrimus.

FOntane, annus agitur tertius quo aliquid ſcitu dignum tibi non reſcripſi, nunc alacri, & benevolo animo, etſi morbus incurabilis obſtet, ætaſque ſanè decrepita, id quod hactenus non feci, facio, commotus exempli novitate raritateque.

Æſta-

Æſtate præterita, illuſtriſſimum cum quendam comitem tribus miliaribus à Bruxellis habitantem, ſæva pleuritide laborantem ſanitati, auxilio Dei ter Optimi terque Maximi reſtituiſſem, & equo à ſua Excellentia abiiſſem, acceſſi ſuburbium, ibique inveni quatuor robuſtos colonos mortuos, qui iſta nocte poculis invicem ſeſe invitarunt: Et quod magis admirandum erat, poſt mortem ſtatim fiebant imberbes, calvi in capite, genis, facie, & mento. Me præſente, magna ſtatim apparuit hominum turba, retulitque à malo quodam homine in vinum injectum fuiſſe venenum, cujus pernicie, ipſi qui in menſa illa nocte fuerant epulati, vitam cum morte commutarunt.

Quod venenum interficiat, perimatque cor velociſſime, nullus it inficias, imo ita notum eſt, ut probatione non indigeat. De Defluvio capillorum ſum ſolicitus, nec hujus dubii ſolutionem indagare queo, quare exoratum te volo, Mi Fontane, ut hujus quæſtionis explicationem aggrediaris, quam à te poſſe diſſolvi ſemper putavi, & puto; cum ſciam te in Galeni doctrina eſſe verſatiſſimum: pro ut præclara opera tua in lucem edita ubertim conteſtantur. Vale & me amare incunctanter perge.

Bruxell. 10. *Martii* 1639.

Tuus Franciſcus de Paz.

Illu-

Illuſtri Viro

Dom. FRANCISCO de PAZ, Regis Hiſpaniæ, & Sereniſſimi Cardinalis Infantis Ferdinandi, ſummo Medicinæ Antiſtiti.

VIr magne: Id nimirum videbatur experiri ingenium tuum magnum exercitatumque elegantiis aulæ, cum proxima nuper humanitate Tua, vel in laudes meas provectus, non dedignaris admittere cultorem hominem non ambitiosè arrogantem laudis immeritæ, & ſic ſatis felicem magnificumque apud ſe, ſi tuas illas divinas planè heroicaſq; in arte noſtra virtutes ſentire, intelligere, & fas ſit, complecti TIBI videatur. Sed alias felicius, hæc fortaſſis perſequemur: Nunc ad juſſa, ecce, expedio me.

Venenum eſſe noſtræ naturæ adverſum & contrarium, facultates, in quarum Symmetria totius hominis fabrica conſiſtit, proſternere, ſpiritus reſolvere, & exſtinguere inculcat Galenus lib. de Elementis. De ſimpl. Med. facultatibus, edoctus à Dioſcoride, Plinio, Nicandro, Eliano, Solino, qui variis exemplis id confirmant, quodque explicant ejus interpretes Vliſſes Aldrovandus, Conradus Geſnerus, Dalachampius, Claudius Salmaſius, & alii, ſextum Dioſcoridis librum enucleantes, ut ſunt Pena, Lobelus, Dodonæus, Ruellius, Bruins-

Bruinsfeldius, Mercellus Virgilus, Hermolaus.

Referam ex iis textum unum Galeni, lib. 6 de loc. aff. cap. 5. qui tantam vim & efficaciam veneno attribuit, ut si ſputum, vel aculeus animalis venenoſi cutem tetigerit, ilico occumbat animal, ita enim habet: Tam præſentaneum eſt venenum canis rabioſi, ut venenoſiſſimi Scorpionis inſtar, ſi ſputum cutem attigerit, ilico moriatur animal eſt neceſſarium.

Denique quid tempus conſumo in re manifeſta? cum ſatis perſpicuum ſit, hos ex veneni malitia oblati, & rabie dira occubuiſſe.

Quod autem venenum fuerit ignotum eſt, illi enim tamquam fulmine icti, poſtquam vinum hauſerunt, mortui ſunt: nullum ex ſe caliditatis, aut frigiditatis, aut alterius exceſſus notas præbentes.

Sed quæ fuerit cauſa defluvii capillorum, hoc opus, hic labor eſt. Inveniri venena quæ certa membra labefactant, & feriunt, res eſt certiſſima: Sic Cantharides, veſicam exulcerant; Napellus, pulmonem dilaniat; Aconitum, cor abrumpit: ergo hoc certum, oblatum venenum pilos ex toto corpore decidere facit.

Sed, licet hæc ſolutio plauſibilis ſit, mihi tamen haud arriſit unquā, quia in monumentis Antiquorum nec non Recentiorum, ſcriptum eſt, reperiri venenum, ob cujus malitiam ex

toto corpore pilorum accidat defluvium.

Dico ergo hac in dubia quæstione, quod venenum oblatum, ſpiritus exſtinxit, virtutes proſtravit, & mortuas reddidit; ideo retentrix in cute non potuit radices pilorum ſua in ſede retinere, quare illi ſponte ſua, velut arbor ſine radice, cecidere.

Hæc eſt cauſa, cur poſt mortem in cadaveribus contingant ſanguinis profluvia per os, nares, pudendum, anum, & uterum, quia ſcilicet, exeunt omnia à virtute omnino reſoluta, non benè gubernata.

Hæc ſi Excellentiæ Tuæ placuerit ſolutio, mihi non tam gratum erit quàm quod gratiſſimum: ſin minus, tardo huic parce ingenio, quod tanti dubii ſolutionem non acquiſivit.

Interim vale Vir ter Maxime, & Æſclepiadum familiæ decus ſplendidiſſimum.

Amſteldami 20, *Martii*. 1639.

Excell. veſtræ addictiſſimus ſervus
NIC. FONTANVS Med.

Exemplum de ſtupenda, in ſene decrepito, Hæmorrhagia.

LVDOVICVS NONNIVS
Antvverpienſis,
NICOLAO FONTANO I. F.
Medico eximio, S. P.

ACceſcit, Vir doctiſſime, Florilegium tuum ad manus noſtras, variis ſane Medi-

Medicis floribus delibutum, cujus dulcedine inescatus, crede mihi, quod non mentior, dies noctesque transigo , & in quæstionibus enodatis à te artificio miro, totus sum, & visis solutionibus, pedibus manibusque gestio, ita es tersus in scribendo, politus in solvendo, facilis in explicando. Quid plura? in te video venerandam Antiquitatem omni ex parte descriptam ; quapropter ne te pigeat hujus admirandi exempli solutionem aggredi.

Autumno præterito vocatus ut inviserem Senem decrepitum, & qui octuaginta annos jam compleverat , eum invenio per faciem totam sanguine obfuscatum. ad pedes lectuli erant vasa sanguine plena, & nares velut ex fonte perenni cruorem eructabant.

Tetigi pulsum , hunc plenum, fortem robustumque inveni. Nulla, in illo, apparebat capitis debilitas , nulla vertigo, nulla mentis vacillatio, aut desipientia, quæ, vel in validissimis juvenibus ex tam effusa vacuatione persæpe contingit. Manus non erant tremulæ, somnus non interruptus, appetitus avidissimus, sitis nulla, aberat febris.

Demum iis rectè pensatis, in victu parcus, & potu abstemius erat.

Sanguis in vase concretus ad stateram appensus septem libras pependit, & quod magis est , ipse confessus quod in anno hanc copiosam Hęmorrhagiam ter, & aliquando quater patiebatur strenuè. quæ evacuatio nullam

virium jacturam adferebat, nec ex ea in corpore sentiebat gravamen ullum, & me per Deum immortalem est hortatus, ut totum negotium Naturę committerem, imo ne prę-scriberem auxilia, quæ ad cruorē compescendum à Medicis factitari solent; se enim viginti annis huic vacuationi esse assuetum dictabat, cujus auxilio senectam transigebat salubriter; nam sanguis concretus & in altas cerebri partes restagnans Apoplexiæ, Epylepsiæ, Cari, Vertiginis, & aliorum sævissimorum capitis affectuum est causa, & hoc modo sine ullo auxilio, victu mediocri nutritus, citra remediorum opem convaluit. Quam ob rem vir eloquentissime à te expostulo, ut enuclees cur in sene tam longęvo, frigido, sicco, excarni, cujus corpus potius pituitæ est ferax quam sanguinis, tanta hujus humoris copia repullulet, & in corpore tam citissimè accrescat.

Hoc si feceris inposterum nullo alio Æsculapio nisi te, indigebo, cujus ingenium semper fui admiratus & in hoc solvendo dubio amplius admirabor. Vale, Medicorum Maxime mihique ad nutum impera: invenies enim semper me tuarum laudum incessantem præconem.

Antverpiæ 4. *Decemb.* 1639.

Tuus ut suus L. Nonnius.

Illu-

Illustri Viro

Dom. LVDOVICO NONNIO Medico Antverpiensi. S. P.

OPtatò tuas jucundissimas accipio, Charissime Nonni, dum enim hic libellus meus exemplorum rarorum sub prælo est, quem tuis exornas jucundissimis petitionibus.

Similem non recuso provinciam; nam tua auctoritate decoratus in manus hominum prodibit amœnus, & à Zoilorum calumniantium livida protervia in totum evadet immunis; qui vitam suam alacriorem reddere nequeunt aliorum doctissimis, si non nutriantur alimentis, ut doces in Diætetico tuo, quo superioris ævi Medicos superas excessu multo. Gavisus enim fui, te mihi currenti calcaria addere, ut non solum hoc exemplo, sed & aliis ab Excellentia tua proponendis, me exerceam, quod libenter facio.

Plurimum differunt temperamenta à temperamentis, ætates ab ætatibus. Fere receptissimum est apud nostros in temperamento, & ætate frigida, frigidum humorem regigni; ita in juvenibus accrescit bilis, in senibus mucosa pituita, crudus sanguis, Contrarium si obtigerit; monstrosum est & ab arte expungendum.

Monstrosos autem morbos eventus & cu-

rationes reperiri, plures nostræ artis Medici percelebres, appositis palam exemplis, scite confirmarunt, quorum Catalogus legatur apud Scenkhium, & Mercellum Donatum. Ne ergo mireris, si juvenes scateant pituita, senes sanguine, quoniam ait Galenus lib. de curand. rat. per sang. missionem cap. 13. Septuagenarios strenue ferre venæ sectiones, hi Eusarci sunt robusto corpore præditi. De eorum curatione longam fecit Theoriam Valleriola lib. 6. observ. ultima.

Exemplum, omnem quasi fidem excedens Zacutus Lusitanus lib. 1. Histor. 84. proposuit, quo gloriatur se vidisse Senem monachum, abstemium & in communitate, *victu* tenui utentem, singulis quibusque mensibus sæva Ophthalmiâ tentatum, cumque venâ duodecies in die, sectâ, singulis quibusque vicibus satis liberaliter, sanitati restituisse.

Illis est hepar vegetum, fervidum sanguinisque refectioni aptissimum: vividi sunt, sobrii victu potuque, non Veneris deliciis indulgentes, quare vegetas vires habent, sanguinis benè cocti procreatrices, & firmissima viscera; ideo mirum non est, etiamsi tanta sanguinis quantitas, effluxerit, & æger tuus firmus rubicundusque è lecto surrexerit.

Hæc dicta sufficiant pro tanto emedullando dubio, quæ Excellentiæ tuæ sint plausibilia, quippe ex mediis Medicinæ penetralibus descerpta.

Vale

Vale & me tuæ ſelectiſſimæ Doctrinæ admiratorem ama & fove.

7. Decemb. Anno 1639.

à Tuo nunquam defuturo

Nicolao Fontano Med.

Nobili, & Doctiſſimo Viro

DOM. NICOLAO FONTANO

Medico celeberrimo. S. P.

SVrripuit mihi te, Clariſſime atque Expertiſſime Domine Fontane, Amice fautorque honoratiſſime, occupatio tua, quo minus abiens ab Amſtelodamo te compellarem: Nam quamquam bis in domo tua fuerim, Veſtram tamen Claritatem alloqui non licuit, praxi præpeditam. Itaq; quod non potuit vox, exſequuntur literæ, atque tibi pro liberali, atque (quod mihi multo gratius eſt) amiciſſima mei acceptione gratias maximas ago; eandem relaturus, cum occaſio ſeſe præbuerit.

Antequam autem haſce concludam, intermittere non potui, quin aliquid adjicerem, quod ad Medicinam, commune noſtrum ſtudium, faceret. Nuper aurum fulminans fecimus, cujus ſi granum unum, aut duo carbone deſuper lentè accendas, bombardam minorem, ſclopetas (ignoſce inopiis vocum) intelligo, ſonitu certè æquat, ſi non antecellit; ut merito ridenda ſit Freitagii ſocordia, &

contradicendi ſtudium, dum tale quid fieri poſſe naturaliter pernegat, & ſi omninò effectus evidentiâ convincatur, ad Dæmonem hujus cauſam refert.

Dignum certè hâc patellâ operculum, & hoc Philoſopho hæc Philoſophia.

Febrem quoque quotidianam, ut videbatur, longo tempore duraturam exhibito ſemel cathartico Antimonio ad grana duo cum ſcrupulo ſemis cremoris Tartari, & extracto fol. Sennæ in pilulas duas minutulas redacto, jugulavimus. operationem ſuam octies per inferiora perficit, per ſuperiora ſemel: quod tamen medicamento non aſſcribo, ſed ægroto, qui nihil apud ſe retinere potuit jam ab aliquo tempore.

Hydropicum quoque pridie in Noſocomio Leidenſi ſecuimus, jecur ſatis erat magnum, nec valde decolor, lien parvus valde, nec magnitudine renem excedebat, renes pinguedine undique obſiti, ut ſuſpicare liceat Hydropem huic potius renum vitio (nam pinguedo undique eis circumnata renum intemperiem frigidam denotat, & per conſequens attractionis ſeri imbecillitatem) adjuvante Liene, qui alioquin quoque multo ſero perfuſus eſſe ſolet, adveniſſe.

Sed tuo hæc limato permitto judicio. Ego hiſce concludo, amicè rogitans, ut incluſas quam ocyſſimè Regiomontum cures. Velis quoque à me conjugem tuam, cum filio &

filio-

filiola à me salutare. Salve ipse, vale, meque tui tuorumque observantissimum ama.

Leidæ rapt. Anno 1639. 24. *Octob.*

Dominationi tuæ ad obsequia

M. Albertus Kyperus.

Doctissimo Viro,

D. Doct. ALBERTO KYPERO liberalium artium Magistro & Medico dexterrimo. S. P.

QVod Dominus me inviserit tametsi absentem, officii mei ratione, mihi tam est gratum quam si me præsto compellasses: tamen fortunam causor quæ me tum domui nostræ subduxerit. ipso me meridie adisses, tunc enim raro abesse soleo, pergratum tamen mihi fecisti, quod hisce literulis amicum tuum inviseris, & quæstiones illas de auro fulminante proposueris exercitii causa, quibus ita pro modulo meo respondebo.

Quo ad aurum fulminans aliqua ratio dari potest, aliqua non potest. Nam si aurum in alia solvatur aqua, utpote in spiritu salis, vel simili, & præcipitetur oleo Tartari, pulvis ille aureus præcipitatus non fulminabit: sed si in aqua regis solvatur aurum, & oleo Tartari præceps agatur, fulmen concipiet, uti vulgo notum est Chimicis, idque fit ratione Nitri, quod alias etiam flammam & parit, & concipit, ut satis jam perspectum est.

Sed tamen unus reſtat ſcrupulus, cur etiam alia metalla aqua Regis ſoluta, & oleum Tartari in fundum dejecta non edant fulmen? hoc opus, hic labor eſt, aptam reddere reſponſionem, niſi velimus, aut cogamur potius hoc aſcribere Sulphuri auri proprio, & peculiari, quod etiam arbitror ita firmiter ſtatuendum eſſe, & ob eam cauſam videtur Freitagius eſſe lapſus.

Hæc ſi tibi reſponſa arrideant, benè; ſin minus, tu accuſandus qui à non Chimico talia flagitaveris.

Scribis mihi de Antimonio illo purgativo: ſed jam quæſtio eſt prima, num alia purgantia præter Antimonium, ut Cremor Tartari & Senna, id ſola efficere poſſint ſine Antimonio?

Secunda, num illud ita præparatum ſit, ut ſine ſubſidio aliorum, vim habeat tantum per inferiora purganda & non ſuperiora?

Tertia demum, quomodo Antimonium illud per inferiora purgans præparandum ſit: nam in hoc tota difficultas verſatur; cum Antimonium natura ſua Anokeicato ſtimulet, & medicamentum ſit calumnioſum propter vehementiam ſuam.

Quæſo igitur, ſi placeat Domino, edoceat modum Antimonii illius purgativi per inferiora tantum conficiendi; nam commune illud artificium Antimonii vomitivi & Diaphoretici, jam lippis, & tonſoribus notum,

ſed tuum arcanum & ſecretum, eſt.

Interim ſi alia habes nobis communica. Vale mi Kypere.

Raptim
Amſt. 3. *Nov.* 1639.

Cui ſum

Nicolaus Fontanus.

L E C T O R I.

Hæc pauca ſunt ex plurimis, quæ tecum, benevole Lector communicare volui, quæ ſi æquo animo acceperis, mihi animum facies, ut & reliquas obſervationes meas, quæ me in praxi meâ ſæpe dubium habuerunt, evulgem.

Nunc plura non addo, quam ut gratias Deo noſtro accinam pro hoc labore exantlato, eundemque in auxilium noſtrum porro advocem,

Trinuni Deo Laus & Gloria in ſecula.



Quorum voto, præſens fulcitur opus.

A.

ARiſtoteles.
Alcunus.
Averrhoës.
Avicennas.
Aulus Gellius.
Amatus Luſitanus.
Albucaſis.
Andræas Laurentius.
Aëtius.
Arnoldus de Villanova.
Apulejus.
Andræas Lacuna.
Altomarus.

B.

BAcchius.
Benivenius.
Brachelius.

Bruyn-

Bruinfeldius.
Brixius Baudronius.

C.

CArpus.
Cornelius Celſus.
Caſtrenſis.
Cardanus.
Chriſtophorus à Vega.
Columbus.
Cælius Rhodoginus.
Cælius Calcagninus.
Cæſar Claudinus.
Conradus Geſnerus.

D.

DAvid Propheta.
Dodonæus.
Dalekampius.
Dioſcorides.

E.

ÆLianus.

F.

FErnelius.
F. Fortunatus Plempius.
Fallopius.
Forestus.
Frambosarius.
Frietagius.

G.

GAlenus.
Giraldus.
Guido de Cauliaco.

H.

HIppocrates.
Hermolaus Barbarus.
Herodotus.
Hendricus Savillius.
Heurnius.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus ab aqua pendente.

Iohan-

I.

JOhannes Mesues.
Jachinus.
Jacotius.
Jacobus Hollerius.
Johannes de Vigo.
Jacobus Guillemau.
Jacobus de partibus.

L.

LEvinus Lemnius.
Lobelius.
Ludovicus Nonnius.
Leonardus Fuchsius.
Langius.

M.

MAximus Tyrius.
Macrobius.
Marcellus Donatus.
Musa Brassavolus.
Marcellus Empyricus.

Manardus.
Monardus.
Montanus.
Mauritius Cordeus.
Matheus Gradius.
Mathiolus.
Mercellus Virgilus.

N.

NIcolaus Maſſa.
Nicolaus Propoſitus.
Nicolaus Myrepſius.
Nicolaus Nicolus.
Nicander.

O.

OVidius.
Ottheus.

P.

PLato.
Plinius.
Paulus Ægineta.

Pa-

Paſchalius.
Pereda.
Pareus.
Pigræus.
Pena.

R.

RHaſis.
Rodoricus à Caſtro.
Rutgartius.
Renodeus.
Riolanus.
Ruellius.

S.

SYneſius.
Scenkhius.
Salius Diverſus.
Scipio Gentilis.
Scaliger.
Sidonius.
Salmaſius.
Solinus.

Theo-

T.

THeophraſtus.
Tralianus.
Thomas à Viega.

V.

VIdus Vidius Florentinus.
Valleriola.
Valerius Maximus.
Veſalius.
Urſinus.
Valleſius.
Ulyſſes Aldrovandus.

Z.

ZAcutus Luſitanus.

Exem-

Exemplorum Elenchus.

1. *EXemplum. De duobus Orphanis Alopecia laborantibus, quorum unus oleo papyri curatur; alter vero fortißimis medicamentis adhibitis, incuratus remansit.* *fol.* 6.

Medicinam praeceptis constare certis, variare tamen periculis accidentium pro varietate locorum, temporumque. Ratio quare incuratus mansit. *fol.* 10

2. *De vetula, cujus ossa vel tactu rupta. Proditae causae.* *fol.* 20

3. *De vulnere Thoracis. Propendens pars abscissa aeger convalescit.* *fol.* 11

Rationes. *fol.* 12

4. *De milite hastâ in cerebro laeso.* *fol.* 16

5. *De puero carente cerebro.* *ibid.*

6. *De Excrescentia vesicaria mira.* *ibid.*

7. *De puero sine pulmone.* *fol.*

8. *De osse gutturi infixo.* *fol.* 13

De causis quaesitum. *fol.* 16

9. *De fatuo & muto, qui tribus septimanis ante mortis diem loquebatur.* *fol.* 17

10. *De juvene Gonorrhea virulenta cum phrenitide laborante, Drachma una Philonii Romani assumpta, sanato.* *fol.* 21

10. *De puerpera Apoplexia laborante, venae sectione Cephalicae, curata.* *fol.* 23

12. *De Apoplexia ex sanguine suberta.* *fol.* 30

Cur Apoplectici, & faeminae utero strangulatae poßint vivere sine pulsu, aut ulla respiratione. *fol.* 32

13. *De*

13. *De Epilepsia cum Paralysi.* fol. 32
De ustionibus & synapismis. fol. 34
Cur arteriæ circa collum laqueis constrictæ nihil patitur animal, neque statim, neque postea? fol. 38
Vtrum Apoplecticis aut Paralyticis cessante jam fluxu, conveniant fonticuli. fol. 44
Exercitatio de Paralysi. fol. 46
Vtrum in hac febris excitanda. ibid.
Ex qua parte secanda vena. ibid.
14. *De gutta Serena.* fol. 47
Num ex Arsenico sublimato citra aliquod toxicum, possit homo incidere in Guttam Serenam, aliamve cæcitatem. fol. 68
15. *Iuvenis Ophthalmia laborans, sectâ arteria temporali, curatur.* fol. 50
Num liceat arterias scindere. ibid.
16. *De scirrho in lacuna palati circa Vvulam suborto.* fol. 51
17. *De Peripneumonia, cucurbitulis costis appositis, miraculose curata.* fol. 52
18. *De puero sine pulmone.* fol. 56
19. *De levi Pleuritide fomentis calidis, absque venæ sectione, curata.* fol. 57
20. *De Sputo cruento mirabili.* ibid.
21. *De corde admodum magno.* fol. 59
22. *De eodem in Hyacintho Burga.* ibid.
23. *De syncope ex alteratione.* fol. 60
Ejus curatio fit per venæ sectionem. fol. 63
24. *De strumis non solum gulam, asperamque arteriam occupantibus, sed pulmones, orifi-*

cium stomachi, omentum, mesenterium, intestina, & ipsam vesicam. fol. 66

25. *De vomitu continuo.* fol. 67

26. *De curatione caninæ appetentiæ, ex infuso Antimonii, & vino.* fol. 74

27. *De Diarrhæa biliosa conversa in Dysenteriam.* fol. 77

De Dysenteriæ speciebus. fol. 78

De ejus curatione. fol. 80

Quod in Dysenteria venæ sectio sit ex usu contra Amatum Lusitanum. ibid.

Quod sectio salvatellæ sit omnium optima, cæteris non conferentibus auxiliis, ex Galeno. fol. 81

Ad tormina præsentaneum est remedium omentum Arietinum, vel Vervecinum umbilico impositum. fol. 82

Fonticuli huic malo sunt convenientes. fol. 83

28. *De Iliaca passione.* fol. 84

29. *De curatione Iliacæ passionis epoto Mercurio vivo, sic & assumptis globulis.* ibid.

30. *De Hepatis Inflammatione.* fol. 85

Quomodo distinguatur à Pleuritide. fol. 87

31. *De Anasarca. De Hepate subalbido, de liene magno lapidibus albissimis pleno.* fol. 92

32. *De icterico venæ sectione facta in brachio dextro admissa, sanato.* fol. 92

33. *Debilis Senex Ictericia laborans, venæ sectione obiit.* fol. 94

34. *De Hydrope Ascitis.* ibid.

Dari Hydropem, jecore salvo particularẽ. ibi.

35. *De Hydrope particulari in digito. Ejus cura.* fol. 96
36. *De pedis Oedemate.* fol. 97
37. *De lue Venerea.* fol. 100
Guttulæ tremulæ Hydrargyri post annum mortuâ filiâ à me circa juncturas inventæ. ibi.
Exercitationes de Hydrargyro f. 104. & 105
38. *De Gallico morbo cum gummate, & carie, osseque corrupto.* fol. 106
Num morbus Gallicus detur Hereditarius. fol. 108
39. *De Liene magno & duro.* fol. 110
40. *De Hirudinum præstantia mira.* fol. 112
41. *Mulier melancholica iis curatur.* ibid.
Num sympathia quadam iis curantur melancholici? fol. 114
42. *De calculo Renum in Septuagenario.* f. 115
Laus Therebinthinæ Venetæ. fol. 117
43. *De calculo Renum exploso per lumbos.* f. 119
44. *De fœtu mortuo per uncum extracto, matre salva.* fol. 122
45. *De puerpera febre & Diarrhea biliosa laborante.* fol. 124
Vtrum in ea liceat provocare fluxum. f. 134
46. *De Epilepsia uteri parturientis.* fol. 135
Vtrum huic liceat secare venam cum doctissimo Zacuto Lusitano? fol. 137
47. *De inflammatione, & pruritu in pterygomate, & Nymphis, & Clytore.* fol. 130
48. *De menstruis suppressis cum tussi.* fol. 142
Num Medicus debeat esse solicitus de provocan-

candis lochiis, an vero de tußi. *ibid.*
49. *De Abscessu in femore dextro.* *fol.* 145
50. *De genu inflato.* *fol.* 147
51. *De genu inflato cum squammis & maculis* *fol.* 150
52. *De aculiis in pede.* *ibid.*
53. *De febre maligna.* *fol.* 153
54. *Matrona obesa in die critico, assumpto pharmaco, moritur.* *fol.* 158
55. *De vetula cicutam comedente.* *fol.* 161
56. *De oblato veneno capillorum defluvium.* *fol.* 166
57. *De stupenda in sene decrepito Hæmorrhagia.* *fol.* 146
58. *De auro fulminante.* *fol.* 151

FINIS.



